
LIBRARIÆ
COL
LEGII
MAIOR
CRACOVI

1

M. IOANNIS ARVNDINENSIS LI-bellus, de natura ac dignita-te hominis.



Talia nostra sunt non qualia quis optaret, sed qualia esse possunt, Plato in hypia.

Ad Lectorem.

QVISQVIS eris, missum de cœlo fortè secutus
Consilium, quod se noscere quenq; iubet.
Hoc lege Lector opus, opus hoc, nam ritè docebit
Quàm natura tibi contigit eximia.
Quàm superes quecunq; uides uiuentia cuncta,
Excelsis animi perpetuisq; bonis.
Vt mente æternum, collapso corpore, uiuas,
Atq; ut sis magno, proximus usq; Deo.
Hoc relegens dices, Epicuri dogma sequatur
Quem iuuat esse brutum, me iuuat esse Deum.

N. G.

CRACOVIAE.
Apud Hæredes Marci Scharffenberger, Ciuis ac Bibliopole Cracouien. M. D. LIIII.


15 54

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, DOMINO NICOLAO Abbati Brzeſtenſi. Patrono & Domino ſuo clementiſſimo,

IOANNES ARVNDINENSIS S. P. D.



IV multūq; mihi cogitanti, qua via ac ratione memoria beneficiorum tuorū ſempiterna (Mecœnas Reuerēdisſime) poſsit propagari. venit in mentē, ea re maximè fieri poſſe: qua non præſentibus ſolū, verū etiam poſteris benefactorum monumēta quædā produntur. Iſtud verò mortales virtute ſola vel ingenio conſequi poſſe. quibus vera ad poſteros cōmendatio & ſolida gloria paratur. Verū cūingenij mei ſterilitas id nō ſinit, vt res graues ac arduas tra-

ctem,eas quas pro virili mea possum
iuxta tenuitatẽ ac ruditatẽ meã (varijs
implicatus curis) aliorũ secutus viã,
libellum de dignitate ac natura homi-
nis, sub auspicijs tuis ædẽdum curaui.
non vt doctrinam meam, vel eruditio-
nẽ, (quã certe nullam vel exiguã in me
esse cõperio) ostentẽ, sed vt animi mei
erga te testari possem propensionem,
cum aurum & argentũ non est, id quod
melius esse à quibusdam videtur R.P.
T. offerre statui, mola quippe litãt sal-
sa qui thus non habẽt. Ingratus, & non
solum ingratus, sed & impudens, vel si
fas est dicere, impius essem, si cũ in re-
ferenda gratia, pro tuis in me innume-
rabilibus officijs, par esse non possum,
vel saltem commemorando, ac aliquo
monumento te digno, animum meum
gratum testarer. Sume igitur hilari a-
nimo ac exporrecta fronte exiguũ hoc
à me charraceum munus ὑπόμνημα ve-
rius

rius,quàm σύνταγμα. quod ſi ſenſero tibi
eſſe tuisq; gratum, ad maiora, ſi Deus
voluerit me tibi promptiorem reddes.
Vale igitur Mecœnas optime annos in
Neſtoreos, & me amore quo cœpiſti
proſequere. Datum Cracouiæ ex
ædibus Collegij maioris., Anno
à Chriſto nato,Milleſimo
quingenteſimo quin=
quageſimo pri=
mo.

M. IOANNIS ARVNDI-nensis, libellus de natura ac digni-tate hominis.

CAPVT I.

Occasio scribendi unde sit Prologus.



ERPLVRES INVENIuntur qui plus corpus quàm animum curant, totam uitam suam more pecudum ducentes (non tantum gentes, quæ Deum ignorant, sed & Christo sacrati) dicentes illud Sapientiæ secundo. Exiguum & cum tædio est tempus uitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, nec est agnitus qui reuersus sit ab inferis, quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquā non fuerimus, & transibit uita nostra tanquā uestigiū nubis: uenite ergo & fruamur bonis quæ sunt, uino precioso, & unguentis nos impleamus, nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ, ubiq; relinquamus signa leticiæ: quoniam hæc est pars nostra & sors nostra. Omnes enim breui moriemur, & unus est interitus, hominis & iumentorū, æqua utriusq; cōdicio, sicut moritur homo, sic illa moriuntur, & nil habet Eccle. 3.

bet homo iumento amplius, his uerbis homines peruer si ex sacris Biblijs adductis; blandiri ac persuadere uidentur, quæ cum in persona stulti dicantur, similes eos esse futuros credas qui hæc sequuntur. Cũ ea ipse mecum cogitabam, eorum animos mirari non sufficiens, cum id non ignorantia (quæ malorum origo animæq; dementia est) sed potius quadam temeritate ducti facere uidentur, non se se homines, uerùm bruta æstimãtes,, animalem uit am agen. sensui magis quã rationi parentes, ac animam mortalem esse putantes. Ideo,

Propositio. De natura; ac dignitate hominis dicere institui, ut cum ea quæ hic dicentur, uiderint, uel audierint: de præstantia hominis, ante ab alijs scripta, aliquando ad se se redire, ac ad sui agnitionem possint. Tametsi durum mihi uidetur tantam rem tractare, quantam non modo facultate consequi difficile esset, sed etiam cogitatione complecti, uix arbitrabar esse eius qui uereretur reprehensionem doctorum atq; prudentum, quorũ in hac ætate nostra florentissima, copiam etiam inter nostros est inuenire Quid enim maius est, quã cum tanta sit inter antiquos philosophos, ac medicinæ artis candidatos de natura hominis, uel potius de eius anima rationali dissimilitudo, dicere: quid in tanta corona doctissimorum sentias: ne cum aliorum sentencias ea de re explicare uelis, te ipsum dignum risu præbeas: Cum itaq; in magnis uoluisse sat est, non mei tantũ ingenij, quod exiguum sentio, inuenta proferre in medium institui, (cum mihi ipse non sapiam in hac palæstra nunquam ante uersatus, imò ut uera dicam κολοιὸς

ἔργοις μούσαις nõ secus atq; Saul inter prophetas,) sed antiquorum philosophorum, præsertim Platonis Aristotelis, Ciceronis, ac alio rum dicta; & quæ in sacris habentur Biblijs ac doctoribus orthodoxis, in ea re inserere libuit, ut si quæ de re tanta ex prophanis scriptis non pateant. ex sacris fidem sumant.

CAPVT II.

Cognitio qualis nostra sit.

ET quia omnes homines natura scire desiderãt, cum & aliarum rerum cognitio etiam minimarum nos delectat; multo magis nostri. Si enim imagines rerum ab humano ingenio inuentas miramur, uel res ipsas naturales cuius sint uirtutis ac operationis perquirimus, eò magis naturam nostram propriam, ab optimo architecto Deo fabricatam, non sine prouidentia speciali debemus mirari. quia inconueniens est se ipso neglecto cætera uelle scrutari. Et si pulchrum est Reipub. præesse, eamq; pro uiribus administrare, cum & alienis & suis utiles esse poßimus, non minus pulchrum esse uidetur, cognitioni rerum uacare, ac cõtemplari res, non tantum naturales, quæ sensui subsunt sed æternas quæ intellectu solo cognoscuntur, in qua uel sola antiqui fœlicitatem in hac uita constituebant, ut Aristoteles in Ethicis docet. Et quia uidemus Rempublicam sæpius armis quã pace gubernari, unde ab eius Ethic. x.

 administra-

administratione pleriq; antiquorum (ut Pytagoras, Democritus, Anaxagoras qui ante regendis ciuitatibus se se dederant) abstinuerunt, quietem & ociũ sequuti, totos se se ad cognitionem rerum conuerterũt: quæ uita hucusq; propter tranquilitatem & propter ipsius scientiæ suauitatem probatur, qua nihil est hominibus iucundius, plures quã utile sit Reipublicæ, delectauit. Et quia duplex est cognitio, sensitiua per sensus, qua homines cum brutis comunicant, quam uulgares plerunq; sequuntur, nil esse credentes nisi quod uident ac tangunt, quales Plato detestatur his uerbis. Prophani sunt qui nil aliud esse putant, quã quod pugno tenere possunt. Vnde Dauid eorum miratur stulticiam inquiens. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Neq; mirum cum animalis homo non cogitat ea quæ Dei sunt, nec recte discernere, an homo uel brutum sit, potest. talibus semper præ oculis est habendum, illud Delphicum uulgo tritum

Cognitio duplex.

Plato in Therto.

Psal. 52.

Cognosce teipsum, non quidem sensu, sed animo. qualis est cognitio intellectiua, quæ sola hominibus peculiaris est, quæ licet ex sensu ac phantasmate ortũ ducat in hac uita, tamen magis ex auditu per fidem ac uerbum Dei fit, quo solo anima uiuit, ut Saluator noster ait. Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei. Vtraq; cognitio homini Christiano habenda est, quo se, & creatorem suum agnoscat, ut eundem finem ob quem creatus est consequi poßit, et cum duplex sit uita corporis, & animæ, utriusq; cognitio, cum de natura hominis tractamus, no

Math. 4.

bis

bis habenda est. Sed ne in cognitione naturæ humanæ aberremus, á diuisione naturæ ordinem sumamus. 6

CAPVT III.

Naturæ diuisio quadruplex.

NAturæ significata cum uaria sint, præcipua tamen quatuor. Nam primo significat essenciam 1
cuiuslibet substantiæ, tam corporeæ, quã incorporeæ, & accidẽtis sensibilis, ac insensibilis. & sic dicitur res, essentia, substantia: ac diuiditur in naturam infinitam increatam, ut Deum, à quo omnia habent esse, ac dependentiam: & infinitam ac creatam à Deo, ut Angelum, hominem. Secundo significat substantiam cor- 2
poream uel incorpoream tantum, cuius proprium est agere uel pati, & est synonymum prædicamento substantiæ, Tercio significat logicè conceptum cõmunẽ 3
à ratione excogitatum, ut genus, uel speciem, ut est dicere naturam esse generis, in esse suis speciebus, ut animal, homini, equo. Quarto pro ui, seu potẽtia qua- 4
dam, uel uniuersali, qua cœlum dicitur agere in hæc inferiora, motu, influentia, & lumine: uel particulari, ut quatuor elementorum, ignis calefieri, aquæ infrigidari, & mixtorum ex his, ut lapidum, plantarum, herbarum, quorum uirtutes uarias spectamus mirantes. Vnde Aristoteles naturam ait esse uim quan- 2 phisic
dam sine ratione, cientem motus in corporibus neces-

sarios

ſarios, unà cum quiete, Plato uerò uim participem rationis ineſſe cœlo dicit, qua ratione ordines rerum moderantur, tanquã uia progrediens ac declarans quod cuiuſq; cauſa efficiat, quid ſequatur, cuius ſolertiã, nulla ars, nulla manus, nemo opifex conſequi poßet, imitando ut ita fingat, ita efficiat in ſuo quodq; genere, Deus enim & natura nihil faciunt fruſtra. Non enim tantum plantis, à natura eſt generare ſibi ſimile, uerũ omni uiuenti, unde & moueri, & ſentire & appetere poßint. Ideo Epicurus omnia naturæ nomine appellauit, dicens in natura eſſe, & corpora & inane, Ac fortuito omnia produci & non à Deo hominem nudũ ac inermem imbecillemq;. Sed hæc de naturæ diuiſione ad præſens ſufficiant.

CAPVT IIII.

Duo ordines rerum ſunt.

SED *cum duo ordines rerum in natura eſt uidere, æternum unum qui nulli ſubiacet mutationi, qualis eſt Deus glorioſus, Angeli à lapſu confirmati; qui in gratia exiſtentes in malum labi non poſſunt, ac ſancti in cœlo æternaq; gloria regnantes: alterum uerò caducum, quia à natura ſeu fato (ſi philoſophis credimus) ac quatuor elementis ortum habere uidetur, utriq; præeſſe Deum optimum maximumq; cenſemus, tanquam creatorem, cum ab eo ſint omnia ex nihilo creata, per uerbum ſuum uiſibilia, ac inuiſibilia, mutabilia*

Creatio à Deo.

tabilia

tabilia ac æterna. Quod quidam gentilium etiam sentire uidentur, ut Mercurius ille Trismegistus Egiptius, qui cum Mosi libros legisset, Deum principium uniuersorum esse dixit, à quo & uniuersum mũdum nõ manibus sed uerbo esse fabricatum ait, cui & Plato ille diuinus hisce uerbis astipulatur, Animalia cuncta mortalia plantasq; & quecunq; inanimata in terra existunt, non alio opifice fabricata, quã Deo, etiam æterna ut Angeli, hominũ animæ. de quibus postea, cũ de fine hominis tractabimus, copiosius dicemus, nũc ad caduca reuertamur. Cum cœlum ac elementa quatuor à Deo creata sunt, uicißitudine quatuor elemẽtorũ mũdi natura continuata est, nam ex terra aqua, ex aqua aer oritur, ex aere æter, & deinde uicißim ex æthere aer, inde aqua, ex aqua terra infima, sic naturis his ex quibus omnia constant, tam animata quã inanimata sursum deorsum, ultro citroq; commeantibus mundi partibus, coniunctio continetur, cum aũt animata partes mundi sint, ac perpetua ob naturam esse non possunt in indiuiduis, in productione sibi similium in specie æternæ habentur, ut Aristoteles censet, qui etiam Deum causam omnium rerum esse ait.

In Pymandro.

i sophista.

Secundo de anima

CAPVT V.

Quomodo à Deo omnia creata sunt.

SEd quid Ethnicis opus est scriptoribus, cum illi de his per transennam agebant, & quicquid scripserant

rant illi, magis natura duce, uel ex lectione propheta-rum, ut Mercurius Trismegistus, & Plato discipulus eius, acceperunt: teste Eusebio in de preparatiõe Euãgelica, Audiamus itaq; prophetas, ore Dei loquentes, imprimis psaltem sic loquentem, Quoniam ipse dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt, statuit ea in seculum seculi, praeceptum posuit & non praeteribit, Vnde & sanctus Ioannes ait. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Modum uero creationis Moses in libris Geneseos satis copiose expreßit inquiens. In principio Deus creauit coelum & terrã &c. Vbi per coelum omnia superiora intellexit, Angelos ac coelos, per terrã uerò omnia inferiora, quae quatuor discernuntur gradibus. Sacra nobis eloquia produnt, creationem rerum omnium per dies septem esse factam, non quòd iustanti Deus operari nõ poßit, uerum ruditati Iudaeorum respondendo. Catholica enim fides est, Deum omnipotentem uniuersa creasse per filium ac sapientiam suam aeternam, in spiritus sancti unitate, Entium uerò creatorum à Deo, gradus quatuor sunt. Quaedam enim quae esse habent tãtum: quaedam esse & uiuere: quaedam uerò quae esse uiuere, sentire: postremum quibus & esse, uiuere, sentire, & intelligere est, quae esse tantum habent. Primo gradu cõstituta, differentiam inter se uel maximam habere uidentur, eò quòd simplicia sunt quinq;, Coelum, ignis, aer, aqua, terra, Ex his mixta in terra genita, omnia metalla, aurum, argentum, plumbum, stannum, ferrum, cuprum, lapides praeciosi, carbunculus, hijacin-

Eusebius de preparatiõe Euangelica lib. II. ca. 7. ar. 10.

Ioan. 1.

Entiũ quatuor gradus.

1. gradus

thus

thus, Smaragdus, Hæmatites, Topasius, Corallus, hi magni precij ac æstimationis sunt: & reliqui lapides quouis genere inter se dispare. His res artificiales addas, in quibus non nisi esse purum inuenies. In secũdo gradu sunt quæ esse & uiuere habent, cuiusmodi sunt omnes plantæ, arbores, & herbæ, quas uiuere dicim9 cum generare sibi simile, crescere, ali, consideramus, Habent enim inter se uirtutem quandam, qua facile ista perficiant: ijs addas sapores, odores, uirtutes, colores, quibus inter se discrepant, Porro in tercio gradu, animantia cuncta reperimus, quibus esse, uiuere, sentire inest: sensuum instrumenta, oculi, aures, nares quibus fit, uisus, auditus, odoratus, gustus, tactus: & hic continentur tres gradus, quæ tantum sensum tact9 ac gustus habent, ut conchylia, Ostreæ, & minuta animalia, arborum, & herbarum affixa radicibus, & hic est primus ac infimus gradus Quædam sunt quæ sensum habent tactus & memoriam, sed auditu priuantur, ut Formice quibus motus localis est, uel, si Aristoteli datur fides, Apes; Vespæ, Muscæ. Quædam sunt quibus omnes sensus quinq; insunt, quæ perfecta dicuntur, eiusmodi est Leo, Bos, Capra, Equus, & alia. Si quartum gradum habere uis, quæ esse, uiuere, sentire dicuntur rationale addas, si uigilanti animo consideres conuenire hominem cum his uidebis cũ inanimatis in esse, cum plantis in uiuere, si sentire addas cum animalibus, si intelligere cum Angelis. Cõplectitur enim homo in se omnes perfectiones inferiorũ entium natura: est, uiuit, nutritur, sentit, ac intelligit, & horum

[Margin notes: 8. — 2. gradus. — 3. gradus. — Tres gradus animantium — 1. — 2. — 1. Methæ. — 3. — 4. gradus]

& horum omnium est moderator, inde Dominus omni creaturæ præcipit prædicandum, cum in homine operationes omnium est inuenire, quod & Dauid de hominis dignitate ait. Paulo minus ab Angelis minuisti eum. eo quòd Angeli substantiæ rationales, simplices, æternæ sunt, homo secundum animam talis perhibetur, licet corporis mole, ac uiribus distat, tamen gloria & honore coronatus est, eandem enim gloriam in uita æterna consequetur ac honorem, quàm & Angeli: in præsenti uero dominium omnium habet, id uolente & sic moderante Deo optimo.

Mar. ulti.
Psal. 8.

CAPVT VI.

Deus est gubernator omnium rerum.

HOrum omnium gubernatorē Deum esse ac creatorem dicas, unum in essentia, trinum in personis, à quo demum & unitatem alia habent, ac dependentiam. licet enim his quatuor gradibus sint plures, & innumerabiles res inter se admodum diuersæ, non est tamen nisi unus ordo inter eas, ascendunt enim de gradu in gradum, & ad id quod dignius cuncta contendunt. Videmus elementa plantas subintrant, nutriunt & fructiferas reddunt, Fructus uero fruges aliquādo nutriunt, ac herbæ, fruges uerò ac carnes animalium, hominem cibant & ad incrementa producunt. Superiora corpora cœlestia suo influxu lumine, ac motu, agunt

tu agunt, in hæc inferiora & ministrant eis uigorem, ita quod omnia in hominis utilitatē uidentur esse creata ab opifice summo Deo, & homo his prælatus, & in creando & in essendo, In creatione, nam postremus omnium tanquam finis rerum creatarum creatus est. in essendo, nam nobilius esse rationem ipsam habet, qua presentia intelligit, futura prouidet, præterita recordatur. hinc est ut in eo solo gubernationem diuinam omnium rerum conspicere est, nam quemadmodum ratio hominis omnia præuidet, moderatur, gubernat sensibus ipsis imperando, ita ut ei omnia subiecta esse uideas, quæ creata sunt, cum eius nutu pareant, eius prouidentia gubernentur, maxime quæ sensibilia sunt, sic ab eo á quo creata sunt omnia gubernātur, ab eo esse, uiuere, capientes, Necesse est enim unū esse gubernatorem, si eandem uicißitudinē rerum, si mutationem ordinemq; spectes, ita ut merito dicas; unū esse supremum opificem, qui & hominē ipsum, & cūcta quæ sub homine sunt, potenti manu constituit, omnia enim ab ipso producta, omnia commēsurata & limitata, omnia in numero pondere & mensura facta, ita ut uir sapiens exclamat, Omnia in mensura, numero & pondere creasti, unus conditor princeps, qui pducta omnia ordinat. & non fatum ut Epicurus sensit, ille solus omnia creauit, quæ gubernat, uiuificat, ac in esse conseruat, nam iam eo non gubernante certo certius omnia in nihilum unde orta sunt ruerent, unus ergo est, qui & ordines generum,, & specierū, & indiuiduorum quæ inter se sunt distinxit, qui & numerū Sapien. 11

Esse Dei unde

& ordinem rerum infinitarum nouit, cuius esse ab ipso est, non ab alio, nam sic in infinitum procederetur, sed ab eo qui cunctis illud tribuit, ut in esse suo conseruentur, nam omnia diligit, quae sunt: & nihil eorum odit quae fecit, licet caeteris à Deo additum est nõ esse, quia permanentiam non habent ad omnia, tanquã ad suum esse principale referuntur & in uoluntate eius non esse acquirunt. Sed haec Theologis committimus, ac Epicuri sententiam non admittamus, qui omnia á casu esse uoluit.

CAPVT VII.

Differentia hominis ab alijs.

DIximus homini omnia subesse, haec ut manifestiora sint repetere libuit superiora. Dicamus uberius quomodo homo à rebus trium graduum differat, nam habet id quod caetera non habent, animam uidelicet ad similitudinem Dei creatam, quae cognitionem intellectualẽ habet, qua se perfectius, & alia à se cognoscit. Et si alia sensualem habeant cognitionẽ, tamẽ haec est imperfecta, quia imperfectam discretionẽ habent, conuenit cum alijs in pulchritudine, uirtute, utilitate, esse, uiuere, sentire, in ratiocinatione differt, Solus enim homo intelligit, quid caeterae res habeãt, à quo sint, & à quo esse & dependentiam habent: solus cognitionem Dei, Angelorum, licet imperfectam habet

bet, tanquam eorum quæ inuisibilia sunt: solus homo potest, quærere, inuenire, & cognoscere illum, à quo sit, illum tenere, complecti, amare inseparabili dilectione, solus cognoscit, dignitatem, honorem suum, quali eum suus conditor æstimauerit, qui eum præ cæteris nobilem & capacem rationis condidit, cæterisq; omnibus quasi principem antetulit, & cuncta suis pedibus substrauit, propter eum Deus mundũ, & omnia quæ in eo sunt creauit, condita enim sunt omnia uel propter hominis necessitatem, uel utilitatem, uel solatium, uel doctrinam, uel gaudium, at nunc quia sunt omnia propter hominem, ideo homo accipit omnia, eis fruitur ac utitur, ipse est rex ac gubernator omnium, ei omnia parêre necesse, quæ in mari, aquis, terra, aëre sunt, his omnibus homo utitur, nutritur, ac cõseruatur quo ad corpu. Terra præbet homini, cibi genera uaria, fructus, fruges, animalia: aqua, pisces, potans hominem, ac mũdans: aer flatum uitalem, ignisq;; uolucres, pisces, quadrupedes, bouis, ceruu, & id genus alia, quæ esui digna sunt, alia seruituti obnoxia, alia cicurata eius opera egent, hæc cum homo ad suã utilitetem uidet esse tributa, suam recogitat dignitatem, nobilitatem stupet, miratur excellentiam: unde & colligit se, à Deo amari, qui omnia eius curæ ac diligentiæ subijcere uoluit. Hæc in præsentiarum de differentia hominis à cæteris sufficiant, postea magis patebunt.

CAPVT VIII.

De creatione hominis ad imaginem Dei

HOMO *hanc præstantiam, qua cæteris præeſt, non á ſe, ſed ab eo qui ei eſſe, uiuere, ſentire ac intelligere contulit: habet, quia cum eum Deus initio formaret, conſilium in Trinitate factum eſſe, Moſes*
Geneſ. 1. *perhibet dicens. Faciamus hominem ad imaginē noſtrā, non Angelis id dictū puta, quia miniſtri Dei ſunt, (Ambroſio teſte in de dignitate hominis) ſerui enim cum domino, & opera cum authore, habere conſortium in operando non poſſunt. Filio itaq; in diuinis ac ſpiritui ſancto dictum eſt, etiam ſi Iudæi nolint, ſi Arriani repugnent, in uerbo faciamus, æqualitas eſſentiæ in diuinis dicitur, hominem ad imaginem no-*
Ioan. 3. *ſtram, non corporeum, quia Deus ſpiritus eſt, nec quo*
Differentia intellectus Dei et hominis. *ad participationem, eſſe, uiuere, ſentire, Sed quo ad intelligere. Nā ut Deus intelligens eſt, ſic & homini hoc munus nobiliſſimum, intellectum tribuit, & ſicut unus in eſſentia trinus in perſonis, ſic & anima noſtra quo ad ſubſtantiam ſuā, una indiuiſibilis, Quo ad operationem triplex, memoriam, uoluntatē, ac rationem in ſe habens, ex his operationem uariam, differenter tamen, quia in homine intellectus ad corpus humanum refertur, & eſt unibilis, intellectus diuinus non unibilis, etiam operationes per ſe agit ſine medio aliquo, Intellectus uerò hominis, mediante corpore in quo eſt, hic per diſcurſum, Dei uerò ſine diſcurſu, nā intellectus Dei æternus exiſtens nō diſcurrit in cogno-*

ſcendo

ſcendo, ab alio in aliud, ſed ſunt ei ab æterno præſentia omnia. intellectus uerò humanus, æternus quidem, ſimplex exiſtens, per diſcurſum tamen intelligens, nec habet ſpecies in ſe impreſſas, ut Plato uoluit, ſed eas acquirit in corpus aduenıens. & eſſe hominis finitum, in Deo uerò infinitum, & ſicut in Deo omnia ſunt ſimul, ita omnia ſimul intelligit, uidet & cognoſcit per ſuũ eſſe: homo uerò cum acquirit ſucceſſiuè ſpecies etiam ſucceſſiuè eas intelligit, dijudicat enim de rebus ſe ſe offerentibus in eis quæ ſunt bonæ, delectando, malas odit ac fugit: diuinus uerò intellectus habens eſſe æternum, cum ſumma uoluptate intelligit, ſe habere æternum eſſe, uiuere, ſe eſſe immortalem, omnipotentem, perfectum, ita ut intellectus Dei cum Deo idem eſt, ut omnes actiones eius: hominis uerò, intelligens uniuerſalia, intelligit particularia, & ſpeculatur intelligens ſe eſſe, uiuere, ſentire ac intelligere & intelligens ſe, alia à ſe intelligit uniuerſalia per ſpecies ſuas, particularia uerò per ſenſum, & hanc ſenſus cognitionem dicimus, In Deo itaq; dicimus idem eſſe, uiuere, ſentire & intelligere ſpirituale, quia Deus eſt natura ſpiritualis, incompoſitus, impartibilis, æternus, ſimpliciſſimus, inuiſibilis, ſic anima noſtra ſpiritualis, incompoſita, impartibilis, ſimpliciſſima, æterna, inuiſibilis, merito ad imaginem Dei creata eſſe dicitur Hinc hæreſis Antropomorphitani, quæ aſſerit Deum habere humani corporis effigiem, hominemq; iuxta hanc ſuorum mẽbrorum deſcriptionem, ad ſuam imaginem condidiſſe, orta eſt, hũc errorem nequiſſimus Machometus, in ſuo

 Alchorano

Alchorano & Iudaei in suo Thalmud, longißimis fabulis persequuntur, quem nos fugiamus, Deum spiritũ & animam esse credentes, & ut intellectus diuinus libero utitur arbitrio, sic & homo liberum arbitriũ habet, nam à principio conditionis suae Deus eum in manu sua constituit, apponens ei aquam & ignem, ubi uoluerit ibi manum suam extendat. Apposuit ei mandata, quae si seruauerit custodient eum, sicut ergo Deus sua uoluntate uult, sic & homo, sed differenter, hic bona tantum, homo uerò ob corruptam naturam per peccatum primi parentis, bona & mala. Et sicut Deus operatur quae uult, sic & homo, sed differenter. Hic tãtum bona per se, mala per accidens, puniendo malos, hominis uerò operatio bona, & mala; bona adiutore

Ioan. 3. Deo, mala per se per inclinationem naturae. Dei consilio factus est homo, ergo non natura, neq; necessitate productus, ut quidã dixerunt; à fato ut Epicurus; sed

Obiectio. à uoluntate Dei, ac libero arbitrio. Sed dicas si ab uno sunt omnia creata, aequalia esse perhibentur, nam &

Gene. 1. Moses ait, Vidit Deus que creauit & erant ualde bona, & sic brutum ab homine non distat, cum aequa sit

Responsio utriusq; creatio, generatio, & interitus. Et si ex parte creatoris nil à se distare uidentur, cũ ab eodẽ creata sunt Deo, nec ex parte corporis, quod corrũpi certo scimus, ut brutorum, & essentia uniuscuiusq; in

Augustin. in Enchiridio. se est bona, Vt & diuus Augustinus testatur inquiens. Naturae bonae sunt omnes, quoniam naturarũ prorsus omnium, conditor bonus est, sed quia non ita sicut earum conditor summè atq; incõmutabiliter bonae sũt.

ideo

ideo in eis & minui bonum & augeri potest, tamen ex parte animæ rationalis, quæ ad imaginē Dei creata est, homo à cæteris uiuentibus maximè distat, nam quæ rationis expertes sunt, natura esse uiuere, & sentire tantum eis est, quæ una cum corpore intereunt, rationalis uerò nunquam interitura est, ut patebit inferius, sed ut id clarius appareat, iam de natura hominis dicendum est.

CAPVT IX.

Homo duplicis naturæ est.

CReatum esse hominem à Deo diximus corpore è limo terræ, anima ex nihilo, cum ex uniuersis terrenis animantibus duplicis naturæ censeatur, mortalis quidē propter corpus, immortalis uero propter hominem ipsum substantialem, quem Paulus intrinsecum hominem uocat, inde animi partes sunt primæ; secundæ corporis, id enim quod uidemus ita figuratum corpus ut excellat alijs, animumq; ita constitutum, ut & sensibus instructus sit, & habeat præstātiam mentis, cui tota hominis natura pareat, in qua sit mirabilis quædam uis rationis, & cognitionis, & scientiæ, uirtutumq; omnium, corpus uero in utero matris ex semine formatum officialibus membris munitū, quo sibi & naturæ suæ consulat, quatuor humoribus ac reliquis ad uitam spectantibus ornatum, hoc cū generabile sit, corruptibibileq; esse scimus, anima uerò nostra cum sit à Deo creata, ac de foris uenit; ut Aristoteles ait, æterna, simplex, diuinaq; est, & ita appa-

2. Cor. 4.

1. de anima

de generatiõe animarum, Aug. in li. de anima & spiritu.

ret, animas nostras non à parentibus dari, sed ab unô omnium datore Deo. Huc facere uidetur Augustinus inquiens. Homo ex duabus substantijs constat, anima & carne, anima cum ratione sua, carne uerò cũ sensibus suis, De his fusius tractabimus cum de præstantia hominis dicemus. Nunc de natura animæ quid sit, ac qualis definiamus. Cum & errorum cognitio ad ueritatem indigandam conferat, libuit primo errores antiquorum de anima describere, ut his intellectis, faciliius ex sententia orthodoxa fidei nostræ, ac doctorũ sanctorum, anima quid sit, & qualis cognoscamus, quod & Aristotelem & Galenum factitasse legimus, qui primo exterminant iniqua dogmata, postea uero ipsam ueritatem tradiderunt, optimi agricole exemplo, qui priusquã terræ sua semina mandet, spinas, herbas, sentes radicesq; omnes euellit, omniaq; breuiter, quæ poßint tritici germinationem extinguere. Quid sit porro ipse animus, aut ubi, aut unde, tametsi magna dissensio est antiquorum uidendum est. Quidam animam esse uolunt ex elementis constitutam & corporeã ut Plato, ac Tertulianus, unde cor ipsum esse animã quidam dicunt, inde concordes ac uecordes appellantur. Democritus uerò ac Leucippus ignem & calorem esse censet, Thales Milesius aquam. Heraclitus exhalationem. Empedocles cordi suffusum sanguinem. Aristoxenes Musicus, Harmoniam quem Pythagoricorũ chorus, ac medicorum sequitur, ut Galenus ait, animã esse harmoniam corporis, ac una cum corpore interire cũ sit corporea uel idem quod & spiritus animali. Xenocrates

nocrates uero numerum, Diogenes aerem, Anaxagoras mentem, Aristoteles uerò longe alijs præstans quintam quandam naturam esse censet, ex qua sit mens, cogitare enim & prouidere, & discere, & docere, & inuenire aliquid, & tam multa alia meminisse, amare odisse, cupere, timere, angi, lætari, hæc & similia eorum in horum quatuor generum nullo inesse putauit, quintum genus adhibet uacans nomine & sic ipsum animum ἐντελέχειαν appellat nouo nomine quasi quandam continuatam motionem & perennem, uel potius perfectionem corporis organici, ut ex definitione eius patebit.

CAPVT X.

Diuisio Animæ.

IAM enitendum est pro uiribus, animæ diuisionē, unà cum definitionibus inuestigare, Plato ille diuinißimus philosophus, triplicem animam esse finxit: cuius principium, id est rationem, in capite sicut in arce posuit: & duas partes separare uoluit, iram & cupiditaten. Quarum alteram in corde, alteram subter præcordia locauit. Quem Aristoteles tanquā discipulus sequutus, animam in potentias tres distinxit. In rationalem, quam hominibus: sensibilem, quam brutis: & uegetatiuam, quam plantis & herbis atribuit. Sed diuersimode, Nam quibus inest rationalis, & aliæ duæ (uirtute cuius continentur ac gubernantur) insunt ei potentia, ut triangulus quadrato. Nec ob id tres ani-

Plato in Thimæo. Triplex anima.

Aristotel. 2. de anima.

mæ in homine dicendæ, ſed una ut rationalis cum ſuis potentijs, ut unus homo dicitur, licet diuerſas functiones habeat. Et non è diuerſo, quibus ineſt uegetatiua, mox ſenſitiua, ſed quibus ſenſitiua, iiſdem etiam uegetatiua inerit. Hæ enim duæ, natura duce, ex ſeminibus producuntur quibus potentia inſunt, cum ſimilia à ſimilibus fiant. Et cum ſint è materia æductæ, etiã una cum corpore intereunt, ut eſt uidere in brutis. Anima uero intellectiua ſola à Deo creatur ex nihilo: in creando infunditur: ut Auguſtinus docet. Et hic Platonis ac Origenis error impugnatur: qui animas ſimul omnes una cum mundo, ac ſtellis creatas eſſe dicunt: & ibidem perſeuerare, donec in ſuum hominis corpus delabantur. Nos dicamus animam noſtram à Deo creatã eſſe æternam, ſimplicem, ac nunquam interituram, ut Plato, Ariſtoteles, Theodorus Andronicus, Porphirius ac Cicero ſenſit. Nec aſſentiendum eſt errori, Auerrois, Temiſthij, Simplicij, Galeni, ac aliorum, qui animam noſtram una cum corpore interire putant. Qui ſcribentes in libros Ariſtotelis de anima, Intellectum unum eſſe omnium hominum aſſeuerant, intellectionemq; præbere corpori, de æternis, per adhæſionẽ ad phantaſiam noſtram, nec informare corpus, ſed tãtum intellectionem de foris præbere. Nec Dicearchus eſt audiendus, qui nil eſſe omnino animum cenſet, & hoc eſſe totum nomen inane: fruſtraq; & animalia et animantes appellari: neq; in homine ineſſe animam, nec beſtia. Non minus abominandi ueniunt iſti qui animam humanam ſimilem eſſe brutis aiunt, quibus reſpondere curabimus cũ de dignitate hominis dicemus.

Aug in 7. Geneſeos ac in 11. de ſpũ & anima.

Plato in Phædro. Ariſto. 2. de anima Cicero in thuſcula. quæſtionibus.

CAPVT XI.

Definitiones animæ ex ſententia Platonis in Phædro, ac Ariſtotelis in de anima 2.

NVNC ad propoſitum redeamus, definitiones animæ explicãtes, ac primo Platonis in Phædro, qui ſic animam definit, dicens, Eſſe eſſentiam intelligibilem, ipſamq; perpetuo cientem motus: Et immortalitatem eius ſic probat, Quicquid ſemper mouetur immortale eſt, anima ſemper mouetur, ergo eſt immortalis. minorem colligit; quia eſt principium motus, & eſt ſine ortu, ergo nec occaſum habet. Ariſtoteles uero 2. de anima. *duplicem animæ definitionem ponit, prima hæc eſt.* Διὸ ψυχή ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ ζωὴν ἔχοντος δυνάμει. *Anima, eſt actus primus corporis naturalis, uitam habentis in potentia. Enthelechias uocat primas perfectiones. Ariſtoteles, quaſdam uitas medias, præcedentes animam rationalem in corpore humano, uidelicet ſenſitiuam ac uegetatiuam, quæ corpus exiſtens in potentia perficiũt diuerſæ ſecundum uiuentia diuerſa, & hanc quidem materialem eſſe dicunt, alteram uero hanc formalem,* ἡ ψυχὴ δὲ τοῦτο, ᾧ ζῶμεν καὶ αἰσθανόμεθα, καὶ διανοούμενα πρώτως. *Anima eſt qua uiuimus, ſentimus ac intelligimus primo. Hæc eſt definitio quæ gradus uiuentium continet, homini per intellectionem attributur*

tribuitur, qua superat alia. Hæ omnes definitiones à posteriori sunt, & per effectus animæ essentiam depingunt: essentiam tamen animæ qualis sit ad noticiam non perducunt. Quam ex alijs uideamus.

CAPVT XII.

Animæ veræ definitiones.

IAM *nobis confugiendum est ad scripturam sacrã tanquam ad anchoram tutißimam fidei nostræ, cũ ex gentilium philosophis animæ essentiam non inuestigauimus. Moses siquidem ait. Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ. Vbi duas substantias hominis exprimit, corpoream: cum ait, è limo terræ formauit, quæ est mortalis: ac æternam, animam nostram, cũ illã spiraculum uitæ esse ait. Vnde Augustinus inquit, Videamus quod scriptum est, flauit uel sufflauit in faciem eius flatum uitæ (nonnulli enim codices habent spirauit uel inspirauit in faciem eius, sed cum Græci habẽt* ἐνεφυσήσεν, *non dubitatur flauit uel suflauit, esse dicendum quæmadmodum & Hæbræi legunt.*

Genesis 2.

Lib. 2. Geneseos.

וַיִּפַּח בְּאַפָּיו נִשְׁמַת חַיִּים וַיְהִי
הָאָדָם לְנֶפֶשׁ חַיָּה

Genes. 2.

Et inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ, & erit homo in animam uiuentem. Additur non sine causa uitæ: ut intelligatur, omnis flatus habens in se uitam, de alijs enim uentis spiritibus seu flatibus hoc uocabulũ nõ

dicitur

dicitur נשׁ sed secundum Rabi, Abraham, Aben, Ezra, de solo homine dictum inuenitur) dicitur ergo sufflauit Deus, quia sicut non manibus corporeis finxit, ita nec faucibus labijsq; sufflauit: ne subijciamus Deum membrorum compositioni & figurarũ deliniationi, quia simplex, incompositus, & infigurabilis est Deus. Sed possumus dicere, nec ipsum Dei flatũ esse animam hominis, sed Deo sufflante fecisse animam in homine. Animam itaq; ipsam Dei flatum dicere debemus, dum intelligatur non esse Dei natura atq; substãtia, sed hoc ipsum esse sufflare, quod est flatum facere, hoc est animam facere. Cui sententiæ congruit, quod per Isaiam dicit Deus. Spiritus enim à me procedit, & flatum omnem ego feci. Quid ergo dicit flatum nisi animam, quæ propter peccatum percussa & contristata est: omnem flatum dixit, id est animam omnem. Nec dicamus ex corpore aliquo eã esse factam à Deo, sed ex nihilo: quia sic caro esset. Nec illud audiendũ est quod quidam antiquorum putauerunt, quintã quãdam essentiam, ex qua sit anima, quæ nec terra, nec aqua, nec aer, nec ignis sit, sed tantum corpus carens nomine, quia & sic corporea esset. Sed dicendum eam esse spiraculum hominis ac lucernam secundum Salamonem sic inquientem. Prouerbiorum uigesimo Isaie 52.

נֵר יְהוָה נִשְׁמַת אָדָם Proue. 20

Anima, lucerna domini, spiraculnm hominis.

Addit in faciem inspirauit: quoniam pars cerebri anterior, unde omnes sensus emanant collocata est ad

frontem

frontem, atq; in facie ipsa sunt uelut organa sentiendi, uisus, auditus, gustus, olfactus, per quæ anima agit nil horum existens, uerum uiuificans ac regēs omnia, & per hæc corpori consulit & huic uitæ. Lux uero Dei dicitur, eò quod illo diuino lumine, à quo est creata illuminatur quasi lucerna. Definitiones animæ, ex Augustino in Genesim, ac ex libro de anima & spiritu sunt hæ, ac ex his colligi definitio animæ potest. Anima rationalis, est spiritus uitæ ad imaginē Dei formatus, corporiq; humano infusus Augustinus uero sic definit. Anima est substantia quædam, rationis particeps, regendo corpori accomodata. Vel. Est substantia rationalis, intellectualis à Deo facta, spiritualis, non ex Dei natura, sed potius creatura, ex nihilo facta, in bonum & malum facile conuertibilis. Chrisostomus uerò sic. Anima est substantia quædam incorporea, & immortalis multo interuallo corpus excellēs, & tanto quāto corporeis eminent incorporea, Hæ definitiones sunt essentiales, cum naturam ac essentiam animæ humanæ exprimant. Si itaq; à nobis quæratur quid sit anima? melius respondere non possumus, nisi Spiritus uitæ, ideo uitæ addendum, ut sit differentia ab aëre, plerunq; enim ἄνεμος aer, spiritus dicitur: ut apud Ioannem, spiritus ubi uult spirat, Licet & animam eundem aerem, appellauerunt antiqui, ut iam nō poßit inueniri nomen, quo propriè distinguatur, ista natura quæ nec corpus, nec Deus est, nec uita sine sensu, qualis creditur in arboribus, nec uita sine rationali mente, qualis est pecoribus, sed uita non minor quàm

Chriso. in 2. Geneseos.

Ioan. 3,

Angelorum

Angelorum, si ex præcepto sui creatoris uixerit. Hæc 16
quo ad diuisionem ac definitiones animæ sufficiant.

CAPVT XIII,

Vbi sit Anima.

IAM animam à diuisione ac descriptione accepimus, ubi sit restat quærendum. Cum indiuisibilia nō occupent locum, Anima rationalis, cuius substantia incorporea simplexq; est, non comprehenditur loco, nisi definitiue: dicendum tamen eam esse in corpore humano tanquam in instrumento, mediante quo agit: ut à Themistio, Auerroe, ac alijs eius farinæ hominibus dissentiamus, Plato tamen animam rationalem, in capite tanquam arce ad cœli cognitionem factā locauit, quem Galenus, Lactantius, & medicorum schola sequitur. Aristoteles uerò in corde, eo, quod sit primum uiuens & ultimum moriens. Cui & nos subscribimus, tametsi indiuisibilis sit & non occupet locum, uerū saluatoris uerbis innixi. qui ait. Ex corde procedūt malæ cogitationes, quæ sunt sensus; ergo & bonæ, quæ sunt intellectus: quemadmodum uitia & uirtutes inesse eidem dicimus, sic & cogitationes, ibi esse & operationes ubi ratio, sed operatio in corde, ergo & ratio seu anima rationalis, Nam sapiens ait. Fili præbe mihi cor tuum, ut ostendat ibi animam affectibus præesse. Sed audiamus Ciceronem dicentem, Si quæris

De partibus animalium.

Math. 15

In tusculanis quæstioni-

ris, animus ubi ſit, certe quidem in te eſt, & ut Deum noris ſic animum tuum noſſe oportere, ſi eius ignoras & locum & faciem, ut ignores & locum & formam, neceſſe eſt. Nam aſpectum oculorum effugit, ut Plato ſentit, anima rationis ac modulationis compos, ab authore primo omnium quæ ſemper ſunt, & ſub intelligentiam cadunt, optimo; ipſa quoq; optima omniũ quæ genita ſunt effecta, ac in corpus humanum detruſa uelut in carcerem, à nobis pro ſtatu præſenti non niſi ex effectibus, ut Deus ipſe cognoſcitur, Deum ſiquidẽ nemo uidit, Moſe atteſtante, Non uidebit me homo & uiuet: ſic & animam corpori iunctam. Sed redeamus unde digreßi ſumus, animam ineſſe corpori humano dicamus, ut & Auguſtinus uult dicens. Anima in ſuo corpore ubiq; uiget tota, uiuificans illud, mouens & gubernans. Non enim in maioribus membris corporis maior eſt, nec in minoribus minor, ſed in minimis tota eſt, & in maximis tota, ſic infuſa eſt corpori ut non per membrorum partes, partibus, ſed diuiſæ, nam in quolibet loco pars corporis percutitur, tota dolet, miro aũt modo una eademq; uiuificatione mẽbris præſidens, cum ipſa per naturam non ſit diuerſa, per corpus tamen agit diuerſa. Ipſa quippe eſt quæ per oculos uidet, per aures audit, per nares odorat, per os guſtat, per membra omnia tangit, & tangendo leue ab aeſpro diſcernit, & cum non ſit diuerſa, per ſenſus tamen operatur diuerſa, ex qua re intelligitur, quòd ita eſt anima ſecundum ſuũ modum in ſuo corpore, ſicut Deus in ſuo mundo, interius ſiquidem & exterius,

In Thimæo.

Exodi 33

In libr. de ſpũ & anima.

ſuperius

superius & inferius est, regendo superior, portãdo inferior, replẽdo interior, circumdando exterior, Sic anima nostra, licet intra sit, circumdat, ac penetrat, sic praesidet, ut portet, sic portat ut praesideat. Haec quo ad locum sufficiant, nomina eius uideamus.

CAPVT XIIII.

Animæ nomina.

PRopter animae uaria officia, uaria quoq; sunt nomina. aliquando dicitur homo interior: ut ab Apostolo contentus in maßa lutea, dum uero uiuificat corpus anima, dum uult animus est, dũ scit mens est, dum recolit memoria est, dum iudicat ratio est, dum sperat uel contemplatur spiritus, dum sentit sensus est. Ita uni essentiae uaria attribuuntur nomina, In essentia namq; est simplex, in officijs multiplex. Dicitur etiam substantia incorporea, corporis sui uita, inuisibilis, sensibilis, mutabilis, illocalis, paßibilis spiritualiter, nec quantitatẽ mensurae, nec qualitatem formae, uel coloris habet, memorabilis, rationalis, intellectualis, immortalis dicitur. Substantia spiritualis, quia omne quod alij uitam subministrat, ipsum necesse est ut subsistat, sed anima uitam corpori tribuit. ergo realiter subsistit. Vita quidem dicitur, dum praesentia sua corpus uiuificat, absentia sua idem mortificat. Haec no- Substãtia. Vita.

bis quidem est inuisibilis, sed spiritibus uisibilis.
Sensibilis. Hanc sensibilem esse constat, dum oculis colores, auribus sonos, naribus odores, palato sapores, ma-
Mutabilis nibus aspera uel leuia sentire præstat: Est quoq; mutabilis, omne enim quod melius fit, peius efficitur, & mutabile est: sed anima uitijs peior redditur, uir-
Illocalis. tutibus melior, igitur mutabilis est. Est etiam illocalis, omne quod loco includitur, altitudine, longitudine, ac ris circumscribitur: corpus est, sed ratio docuit animam incorpoream esse, id est, nec corpus nec aliquod membrum habere, igitur constat eã
Paßibilis. esse illocalem. Paßibilis uero quia mœrore afficitur, licet Aristoteles sensitiuæ id atribuit parti, ab hac quantitas excluditur, dum nec latitudine nec longitudine mensuratur. Qualitas uerò, dum nulla forma uel humani corporis, uel ullius colaturę
Memorabilis. rei illi adscribitur. Memorabilis uerò quia præterita recolit. Rationalis quia præsentia discernit. Intellectualis quia futura intelligit. Hanc esse minor talem hinc constat, quòd memoriam sui apud posteros perenniter durare laborat, Cum anima
Mens. in se agit, & ex se, & per se, sola mens dici solet, sensus uerò ad sua ministeria implenda: consuetius anima dicitur, spiritum idem esse & animã Euan-
Ioan. 10. gelista pronunciat dicens. Potestatem habeo, ponẽdi animam meam, & rursum potestatem habeo sumendi eam. De hac quòq; ipsa domini anima, pas-
2. sionis tempore idem Euangelista ita protulit dicẽs. Et inclinato capite emisit spiritum. Quid est enim

aliud

aliud emittere spiritum, nisi quod animam ponere? Hæc diuinus ille Plato, hæc doctus Aristoteles, & antiquorum philosophorum plurima cohors ignorauit, cum animam spiritum esse non censuerunt. Hæc tamen differentia est inter animam & spiritum: quia anima dicta est pro eo quòd uiuit, spiritus autem uel pro spirituali natura, ut Angelo, Deo Vel pro eo quòd spirat in corpore. Item animũ idẽ dicimus esse quod animam, sed anima uitæ, animus est consilij. Vnde aiunt Philosophi, & sine animo uitam manere, & sine mente animam durare, sicut in amentibus. Hæc sufficiant de diuisione animæ, definitionibus ac nominibus uarijs eius, plura uide apud Augustinum in libro de anima & spiritu de re eadem, nos dignitates hominis prosequamur.

Differẽtia inter animã & spiritum.

CAPVT XV.

Prima dignitas hominis à complexione.

HVcusq; de natura hominis dictũ est, de præstantia ac dignitate eius dicendum. Cum duas esse substantias hominis diximus, æternam ut animam rationalem, ac corruptibilem ut corpus, ex utraq; præstantiam hominis quo ad fieri posit uenabimur. ut à brutorum sensu uita ac morte, differentiam hominis sumamus, errorem q; eorũ qui dicunt, hominẽ à pecude non distare, eandemq; esse

hominis generationem ac mortem cum brutis: confundemus. Tametsi omnia animata & inanimata ex quatuor elementis ortum habeāt, ac in eadē relabi, tamen non undiquaq;. Homo enim cum sit terreus secundum corpus, in terram redire uidetur, ac corrumpi, postea uerò per resurrectionem uiuificari, ac renasci. Animam absit dicere interire, ac corrumpi, sed unde uenit quia à Deo, ad eundē in separatione per mortem remeare, alia uero siue animata siue inanimata, eundem ortum ac exitum habent, cum ex elementis orta sunt in eadem dissolui uidemus. hominis itaq; dignitatem à corpore primum, tandem ab anima speculabimur. Cum hominis compositionē intuemur, mirari non sufficimus, quantum tēperatura corporis humani, alia uiuētia excedat, cum meliorem κρᾶσιν, id est temperaturam, quatuor humorum, ut sanguinei, flegmatici, colerici, ac melancholici obtineat, quia corpus hominis agiliore harmonia præditum est, cum uariarum cōplexionum species in se contineat. Quod non est in alijs brutis inuenire, quia canes colericos dicimus, lupos melancholicos: hominū uerò cōplexiones naturā seminū sequuntur, nam si fuerit flegmaticum: fit plerūq; flegmaticus, si colericū, colericus, nisi temperatura adhibeatur. Homo itaq; est temperatioris cōplexionis ut ait Galenus reliquis animalibus, non tantum animalibus, sed & plantis & reliquis corporibus. Quoniam aūt homo compositus est ex membris pluribus & diuersis, tūc manifestum

In Libris de complexionibus.

nifestum est, quòd illud quòd ex eo dicitur complexionis æqualis absolutè est membrum mediũ inter media membra in complexione sua, quale est cutis manus, per quam si mollis fuerit, nobilitas ingenij probatur, si dura fortitudinem retentionis, nobilitas uerò ex temperatura primarum qualitatum, ac humorum fit secundũ optimam plasmationem, & iã poßibile est, ut hæc plasmatio, sit sequens æqualitatem, cõmixtionis elementorũ quatuor, & poßibile est ut sit principiũ eius, à re diuina desuper. Hinc est ut optima complexio, insit homini etiam à Deo, quod alijs animalibus nõ est concessum, hinc est quòd etiam uires quales sunt uitales, quæ spiritu cordis generantur, ac per arterias ad caput deferuntur, clariores sunt in homine, necnon sensuales, manãtes à cerebro fonte sensuum per anteriores neruos, ac motiuè per neruos posteriores, ad summũ omnes operationes, quæ uocantur animales sunt in homine, secundum dispositionem suam, qua nil earum uituperetur, sed hæc medicorũ sunt, audiamus quoq; differentiam carnis, secundum Apostolum qui ait, Nom omnis caro eadem caro, sed alia hominis, alia pecorum, alia uolucrum, alia piscium, Vbi differentiam ex potestate constitutionis notauit, hæc ex parte combinationis sufficiant. 1. ad Corinth. 15.

CAPVT XVI.

Secunda dignitas à proceritate staturæ.

NON minus eius nobilitas à proceritate staturæ, quo ad alia uiuentia bruta laudatur, cũ natura erectum ac cœlum uersus spectans ad cœlestia contemplanda hominem fabricauit, cum partes eius naturales ita dispositæ sunt, ut digniores in loco superiori locẽtur, minus dignæ in inferiori: quãdoquidem superiorem ut caput, ad uniuersi supremum erectam obtinet: solus enim animalium homo erectus incedit, ut Aristoteles ait, cætera uerò uiuẽtia tanquam uentri dedita, ac terrena magis ad terram spectantia reddidit. Quod & Ouidius in secũdo Methamorphoseos expreßit. Prona cum spectent animalia cætera terram, Os homini sublime dedit cœlumq; uidere. Iußit & erectos ad sydera tollere uultus. Cum enim cæteras animantes natura ad terram abiecißet, ad cibum quærendum: solum hominem erexit, corporis partes idoneas ac figurã ei tribuens, quo non ad terræ ipsius, sed potius cœli cognitionem tanquã domicilij sui deueniat. Ideo Augustinus ait, Proceritate staturæ à pecore distamus, cum figura corporis non proni sed erecti sumus. Qua in re admonemur ab eo qui nos fecit, ne meliore nostri parte, id est animo similes pecoribus simus, à quibus corporis erectione distamus, ut sicut corpus ad ea quæ sunt excelsa id est cœlestia naturaliter erectum est: sic animus qui substantia spiritualis est, non elatione superbiæ, sed spe iusticiæ erigatur, & hoc ne animales simus. Quia animalis homo non curat ea quæ Dei sunt, Hinc mirabere

Libro de potestatibus animalium. 2.

Ouidij carmina.

Lib. 12. de Trinitate

1. ad cor. 2

cos

eos, qui seipsos ex hominibus in bruta transformāt, proni ad mala, sequentes lasciuiam ac uoluptatem escam malorū. Quos psaltes admonere uidetur reuocans eos, dicens. Nolite fieri sicut equus & mulus in quibus non est intellectus, hæc cum naturā ducē sequuntur, unà pereunt. Curandum est nobis ne uitam imitemur brutorum, & hoc ne unà cum his pereamus, ad cœlestia curramus cognoscenda, ut eis adhæreamus. Tametsi ortum eundem ex corruptibilibus elemētis cum brutis habeamus, tamen in ratione uitæ differemus ab eis, cum ratio in nobis dominetur, cui sensum nostrum subijciamus in omnibus. ne forma nostra ac proceritas staturæ dehonestaretur. Admoneant nos uerba diui Ambrosij inquientis. Tametsi una essentia eademq; omniū corporum uideatur, substantia, fortitudo, & proceritas quibusdam maior in bestijs, status erectus & excelsus, tamen forma humani corporis est uenustior, ut neq; enormis proceritas sit, neq; uilis & abiecta paruitas, sed ipsa habitudo corporis suauis & grata. Non incedamus igitur curui terrena ac sua spectantes, sed magis quæ domini sunt: gratos ac suaues autori uitæ nos exhibētes. Hæc quo ad proceritatem corporis humani sufficiant á nobilioribus membris ut capite hominis præstantiā uideamus.

Psal. 22.

Ambrosij Sexameron lib. 6.

CAPVT XVII.

Tercia dignitas à capite.

IAM hominem microcosmū appellari nemini dubium est, eò quod ad similitudinem maioris mūdi fabricatus est, Nam quemadmodū primum cœlū ornatu suo fulget: sic caput nostrum uarijs redimitum sensibus: & quanto altior sphæra cœli tanto nobilior in substantia sua, ac maioris uirtutis esse traditur, qualis est cœli ignei, sedes Dei ac sanctorum, iuxta Esaiam qui inquit. Cœlum sedes mea, et terra scabellum pedum meorum, quæ nobilior respectu cristallini orbis, nonæ ac decimæ sphæræ, & inferiorum ut & Aristoteles uult dicens. Continens nobilius esse contento, cū enim superior sphæra omnes inferiores contineat in se, alijs excellentior ac nobilior esse creditur, cum habet se tanquam forma ad inferiores. Hinc est uidere in elementis, quomodo nobiliora ut ignis, & aer reliqua continent, sic & in homine partes superiores, infimis longe præstantiores sunt ex quibus uirtutes & actiones nobiliores producuntur, ut in capite est uidere, quod supereminet omnibus membris tanquā rex, ac præfectus, primatum in corpus totum ac membra obtinens, uelut cœlum in hæc inferiora, existens ornatum stellis, uirtutibus ab actionibus uarijs, quibus in hæc quæ ad nos sunt agit, quod & diuus expreßit Ambrosius his uerbis. Quemadmodum cœlum eminet aeri, terris maria, quæ uelut quædam membra sunt mundi, ita etiā caput super reliquos artus nostri corporis cernimus eminere præstantißimūq; esse omnium, tanquam inter elementa cœlum, ac uelut arx inter

Esaiæ 66.

2. Cœli.

Ambrosi. in lib. hexamerō 6

arx inter reliqua urbis mœnia, in arce aũt hãc re- 21
galem quandam habitare ſapientiam ſecundũ pro-
pheticum dictum. Quia oculi ſapientis in capite e- Eccle. 22
ius, & ex illo omnibus membris uigorem prudẽtiã-
q; deferri, Quid enim robur & ualiditas lacertorũ
proficiat? quid uelocitas pedum, niſi capitis uelut
principis ſui, imperialis quædã adminiculetur po-
teſtas, Quid agat fortitudo niſi oculo duce uta- Oculorum
tur in prælium? Quid fuga, ſi deſit obtutus? carcer laus.
eſt totum corpus tenebroſo horrens ſitu, niſi oculo-
rum illuminetur aſpectu, quod ergo Sol & Luna in
cœlo, hoc ſunt oculi in homine, Sol & Luna, duo
mũdi luminaria, Oculi aũt quædam in carne ſyde-
ra fulgent deſuper, & inferiora claro illuſtrant lu
mine, nec patiantur noctis quibusdam tenebris nos
implicari, ſpeculatores quidem noſtri die ac nocte
excubant, famem & ex ſopore, membris cæteris ci-
tius excitantur, & uigilantes circumſpectant om-
nia, uiciniores enim ſunt cerebro, unde omnis ma-
nat uſus uigẽdi, caput itaq; oculis explorat omnia.
Auribus oculta rimatur, cognoſcit abſcondita, etiã Aurium laus.
cœlorum, ex uerbis enim Dei audit, quid cum alijs
agatur in terris, ipſe uerò uertex capitis, quã ſua-
uis & gratus, quàm ſpecioſa cæſaries, quàm uere-
cunda in ſenibus, quàm ueneranda in ſacerdotibus,
quàm terribilis in bellatoribus, quàm decora in ado
leſcentibus, quàm compta in mulieribus, quàm dul-
cis in pueris, alium ſexum crinita non decet, alium
tonſæ non decet, ex arboribus licet quæ humani ca

 pitis

pitis sit gratia considerare, in capite arboribus omnis est fructus, est omnis pulchritudo, illius coma, nos aut à pluuijs tegit, aut defendit à sole, tolle arbori comam, tota arbor nigrata est, quanto igitur maior humani capitis ornatus est, qui cerebrũ nostrũ sedem originemq; nostrorum sensuum munit & uestit, neq ut frigore uexetur, aut æstu, illic enim fons uniuersorum est, quid sine capite est homo, cum totus in capite sit? cum caput uides, hominẽ agnoscis: si caput desit, nulla agnitio esse potest, iacet truncus ignobilis, sine honore, sine nomine, Non immerito igitur huic quasi consultori suo, cætera membra famulãtur & circumferunt illud seruili gestamine sicut numen, atq; in sublime locatum uehunt, unde cẽsoria parte quo uult dirigit corpus, & præcepta singulis membris obeunda decernit, ita ut uideas imperatori suo singula gratuito stipendio militari, alia portant, alia pascunt, alia defendunt, parent ut principi, alia ancillantur ut domino, inde modus rebus imponitur omnis, ut uenter patientiam, ac abstinentiam seruet, ne manus aliena rapiant, ne pedes ad mala currant: num hæc inuenies in brutis? minime, habent quidem capita, sed sine ratione, solus homo ratione præditum gerit caput, ut Plato & Galenus uolũt,

CAPVT XVIII.

Quarta dignitas à uultu.

Quid

QVID si uultum hominis attendas, nihil à cæteris differre hominem non asseuerabis, solus enim homo uultus præstantia decorus, cum ex eius facie omnis eluceat uirtus; unde modestum, temperantem, iustum, liberalem, magnanimum, fortem, amabilem, lætum, honore dignum, facile solo aspectu depræhendas, cum sit uultus testis, quicquid sit interius. Id Cicero approbat inquiens. Nam oculi nimis auguri quæmadmodum animo affecti sumus loquuntur, & is qui appellatur uultus, qui nullo in animante esse præter hominem potest, indicat mores, In brutis enim id quod uicem uultus gerit, non inuenitur nisi tornum, fallax, ferum, hispidum, hirsutum, gulosum, ab omni ciuilitate alienum; Si uero homines spectes, iudicabis, mox leuem, mitem, uultum eius benignum, ac humanitatis plenum, oris uenustate admirandum, magis ad loquelā; quod soli homini ad propria est aptū, quàm ad gulam non similem his, quæ rostra uoracitatis suæ indicia gerunt, Quid de fronte dicam? num nō liberam, nudis apertam temporibus non inuenies? brutis uero, hispidam, squallentem, quæ mentis habitum specie sui prodat, nunc læta, nūc tristior, nūc directa ad seueritatem, nunc uero ad leuitatē remissior, quæ signis forinsecis internam exprimant uoluntatem, imago quidem animi loquitur in uultu, fidei basis, in qua quotidie nomen domini miserebitur & tenetur. Hæc de uultu sufficiant, iam ad sensus recurrendum est.

Cicero in libro de legibus.

Caput

CAPVT XIX.

Quinta dignitas, à ſenſu.

Cicero de natura deorum.

NVM ſenſus præſtantiam hominis non indicat, cum ſenſus hominum multo antecellāt beſtiarum. ut Cicero ait, Licet illa à longinquo ſentiant, ut uultures, ac canes, uel uideant, ut Aquilæ, tamen homines exactius multo res ipſas cognoſcūt, ac iudicant de eis ſenſibus, qui animi interpretes ac ſatellites eſſe cenſentur, in capite uelut arce, mirifice ad uſus neceſſarios, facti & collocati ſunt. Nam oculi uelut ſpeculatores in ſomno ſiti, omnia præuident, animalia & cætera ſuperantes, cum literarum, linguarum uariam peritiam adferant, figurarum & colorum uenuſtatem indicant, uel quod maius eſt uirtutes, ac uitia, ſolo intuitu recognoſcunt. Quin & aures uocis ac ſoni iudices ſunt, quibus doctrinas non ſolum rerum uarias ſed & uerbi Dei accepimus, unde & Saluator clamabat. Qui habet aures audiendi audiat. Præſtantißimū quoq; audiendi munus eſt par gratia, ideo aures extantiores, ut & ornatus decorem præferant, & excipiunt in ſe illud quicquid de uertice ſordum humorumq; defluxerit, ſimul ut in earum ſinibus uox repercuſſa, ſine offenſione interiores ingrediatur anfractus, Nares quoq; non ſine cauſa uicinitatē oris ſecutæ, eò quòd cibi & potus iudicium habent, non tantum ſapores ciborum (uelut bruta) uerū, odores

Oculi.

Aures.

Lucæ 8.

Nares.

uarios, herbarum, arborum, florum ſectantur, ſi 22
delectabiles & ſuaues ſint, nociuos fugientes. Inde unguentorum uariæ inuentiones, inde ciborū condimenta omnigena inuenta ſunt, ac artes culinariæ diuerſæ. Hinc oris forma cernitur non ad guſtum tantum ut in brutis, ſed ad ſermonem accommodata, quo ſolo homo ab inſenſibilibus uel maximè differt, hinc eloquētiam dominam rerum ſpectare eſt, quæ efficit in nobis, ut animi arcana pandere poſſemus, ac ſcientiam alij cōmunicare, & ea quæ ignoramus diſcere, inde mutuæ amicitiæ ac familiaritates ortæ. Hæc enim ſola eſt, ut Cicero ait. Quæ nos iuris, legum, urbium ſocietate deuinxit, hæc à uita immani ac fera nos (qua ante fungebamur in deſertis) ſegregauit, ac diſperſos homines in unum locum congregauit, à fera aggreſtiq; uita, ad humanum cultum deducens: ſegeſq;, iudicia, iura, hominibus unà cum artibus dans. Hinc cohortamur alios, alijs perſuademus, afflictos ſolamur, perterritos à timore liberamus, geſtientes comprimimus, cupiditates ac iracundias reſtringimus, malos ſecūdum leges puniendo, bonos præmijs proſequendo. Hinc prophetas, hinc ſacras ſcripturas, hinc Euangelium ad ædificationem proximi, ac ad æternam conſequendam uitam, docemus, cum hæc & alia innumera uirtute eloquentiæ paramus. Taceo guſtum quo etiam excellere alijs uidemur, uno ſiquidē genere cibi, uel potus, alia à natura contenta uidemus, uelut rapatia, aquillæ, milui, leones, lupi,

Os.

Cicero I. de oratione.

Guſtus

canes

canes, carnibus, Mansuetiora uerò herbis, frumen-
to, graminibus, è quorum numero, pecora esse, oues
auesq; uidemus, nec alio potu nisi aqua utentia, ho
minis uero cibos, potus, uarios, quis enumeraret?
Multos enim est inuenire, qui magis uentri quàm
naturæ seruientes, uarios ad palatum suum cibos
effingunt, etiam quos natura negauit instruũt, hinc
artes culinariæ, propinariæ, admodum uariæ in-
dies excogitantur, hæc si ad delectationem fiãt, nõ
admodum probantur, hinc enim uarij morbi ægri-
tudinesq; uariæ augentur, pullulant, crescunt, cum
nouis & inusitatis cibis, noui morbi fiunt, hinc mor
tes intẽpestiuæ, plus æquo grassantur, plures siqui-
dem occidit gula quàm gladius, uerùm hæc si ad na
turæ conseruationem ac cofortationem parantur,
non sunt neganda : si ad luxum, inhibenda. Gustum
itaq; ac tactum (Aristoteles facile omnium philo-
sophorum princeps) exactiorem multo perfectio-
rẽq; ex animalibus homini inesse dicit, eò quòd plu-
res differentias rerum, purius exactiusq; cæteris a-
gnoscit de his certo iudicans, prætereaq; sensus in-
teriores quinq;, animæ seruientes, uidelicet, sensum
cõmunem, phantasiam, memoriam, immaginatiuã
æstimatiuam. eò quòd species rerum sensibilium im-
materiales non tantum præsentes sed etiam absen-
tes diudicãt, conseruant, & intellectui exhibẽt, co-
gnoscendas, quorum sedes cerebrum est, & ij non
omnibus animantibus insunt nam in imperfectis tã-
tum imaginatio inest, ut Conchis, Ostreis (si Ari-
stoteli

Sensus interiores quinq;

ſtoteli datur fides) quibuſdam uerò phantaſia ac memoria, ut formicis, perfectis uerò omnes ineſſe dicimus, quibus tamen non exactam cognitionẽ habẽt, ſolus homo ratione adiutus, melius, purius, perfectiusq; cognoſcit certiſsimè de rebus iudicans, hucuſq; de ſenſibus dictum eſt, ad reliqua pergamus. 1. Metaphiſicæ.

CAPVT XX.

Quinta dignitas, à manibus.

QVAM uerò aptas quanq; multarum artiũ miniſtras, natura hominibus ſolis manus tribuit, quibus inter alia naturæ dona homines exornauit, tanquã rationis miniſtros, cum loco pedũ (quod in quadrupedibus fecit) manus, non ad calcandum terram aptas, nec ad rapiendum faciles, ſed ad miniſterium corporis, ac ad multa munera obeunda habiles reddidit; cum enim omnibus animalibus uaria inſtrumenta ad muniẽdũ data ſunt, ſoli homini natura manus tribuit cum ad muniendum ſe, tum ad uaria officia peragenda. Cum itaq; ſit inſtrumentũ, retinendi, ſemouẽdi, hinc eſt quòd digitorum contractionem, facilemq; porrectionem propter molles commiſſuras, & artus nullo in motu laborantes, ita ut ad ſcribendum, pingendũ, fingẽdum, ſcalpandum, ad neruorumq; uariorum eliciendum ſonos, apta manus eſt, applicatiõe digitorũ, atq; hæc oblectationis, illa neceſsitatis ſunt, ſed per-

gendum

gendum ad extranea, nonne agrorum cultus, stirpium eradicatio, arborum plantatio, extructio tectorum, tegmenta corporum uaria, texta uel suta, ac omnem fabricam metallorum & artium mechanicarum, quæ animo adiuuante, sensibus perceptæ, adhibitis opificum manibus consequimur, ut tecti, calciati, uestiti, salui esse possimus. Vnde urbes, arces, mœnia, tecta, domos, delubraq; haberemus, nisi manuum adiutorio elaborata sint? hæ cibum, hæ potum, hæ alia necessaria ministrant, hæ amiciciã hæ fedus, hæ pacem conciliant; hæ nos ab inimicorum nostrorum inuasione liberant, hæ uolatilium, serpentium ac ferarum uaria genera pro uictu uenantur, Hæ onera bestijs imponunt, hæ iuga bobus, hæ clitellas asinis parant, hæ fodinas subterraneas profundas atq; ocultas effodiunt, hæ uenas Auri, argenti, æris, stanni, plumbi, ferri inueniunt, ac ad usum aptis, ac ad ornatum decoras reddunt, hæ uictimas sacras dijs immolant, hæ omnia sacra administrant, hæ Deo ac altaribus seruiunt (ut Ambrosius ait) His sumimus, offerimus, ac administramus sacramenta cœlestia, manus est quæ operatur, patitur atq; dispensat, cuius uocabulo non dedignatus est Dei filius se declarari inquiente Dauide. Dextera Dei fecit uirtutem, dextera domini exaltauit me. Manus est quæ fecit omnia, sicut dixit Deus. Nonne manus mea fecit hæc. Et quia non tantũ defendunt, sed inseruiunt capiti, hinc natura aperte locum eis designauit sub capite, iam usus earũ & dignitas

Lib. 6. Hexameron

Psal. 117.

dignitas probata est, quàm uerò aptè singula homi- nis membra ordinata sunt quilibet uestrum iudicet, & quantum conferant uiuenti homini, nõ est quod dicam, cætera medicorũ iudicio committẽda duxi.

CAPVT XXI.

Sexta dignitas ab incarnatione Domini.

QVANTVM uerò dignitatis accesserit nobis ex incarnatione filij Dei, in carnem nostram, uix Angelorum lingua, ne dicam humana, explicari poßit, cum amore ac misericordia immẽsa, erga humanum genus à Deo id factum esse credimus. Et si homo in innocentia & iusticia prima à Deo creatus est, tamen transgreßione mandati domini, morti ac peccato obnoxius est, ac inde in potestatem diaboli seipsum uendicauit libere, cuius potestate non meritis nostris, sed ex mera charitate Christi in genus humanum redempti sumus. Ideo Apostolus ait. Non ex operibus nostris quæ fecimus nos, sed misericordia sua saluos nos fecit. Cum hoc uas mortalitatis nostræ, sua incarnatione ac paßione reformari uoluit, uenit in mundum in carne nostra, ex uirgine Maria assumpta, non ficta ut quidam ausi sunt dicere, sed uera ac paßibili, quod ex morte eius notum est, ut ex mortali corruptoq; cor-

Ad Ephes. 2.

pore nostro per peccatum, immortale, æternumq; sua passione reddat, nusquam enim Angelos apprehendit (ut Apostolus ait) sed semen Abrahæ, unde debuit per omnia fratribus aßimiliari, non in peccatis uerùm in paßione. Hoc idem & Ioannes altius interpretatur. Et uerbum caro factum est, & habitabit in nobis. Vbi duas naturas in Christo expressit, cum ait Verbum, diuinam: caro factum est, humanam. Hæc doctißimi illi philosophi ignorabant, in quorum numero Socrates, Plato, Aristoteles, Cicero, Galenus, & alij innumeri sunt gentiles. Iudæi quoq;, Turcæ, Scithæ, Mauri, Indi, ac alij quàmplurimi, præter nos qui Christum per fidem cognoscimus, credentes omnia quæ de illo à prophetis sanctis ac alijs dicta erant iam esse impleta, num maior dignitas nobis accedere poterat, hac? cum corpus nostrum corruptibile reformatum est in immortale, per paßionem ac resurrectionem domini. Suscepit carnem nostram filius Dei, nõ ut egeat ea, sed ut lapsam ac corruptam in primo homine restauraret. Vnde Apostolus ait. Et sicut per unũ hominem in hunc mũdum intrauit peccatũ, & per peccatum mors, ita per unũ uita. Quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Exinaniuit itaq; semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominũ factus, & habitu inuentus ut homo. Et hoc ideo ut reconciliaret omnia. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in

Ad hebræos 2.

Ioan. 1.

Ad Ro. 5.

1. Cor. 15.

ipsum

ipsum, pacificans per sanguinẽ crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. Cur uenerit tamen scire uis, propter peccata nostra ad redimendos nos de manu diaboli ac inferorũ, ut solus de se ipso testatur. Filius hominis, uenit quærere & saluũ facere quod perierat. Filius ergo Dei qui uirtus & sapientia Dei est, & uerbum quo creata sunt omnia, cum Deus sit impaßibilis, ac inuisibilis, suscepit humanam carnem, qua lapsam erigere atq; inueteratam renouare dignatus (ut Augustinus ait) Suscepit itaq; humanam naturam in qua pati debuit, nec in ea per paßionem defecit, sed potius per resurrectionem suam in melius commutauit: ac in eadẽ ad cœlos ascendit ut solus testatur. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. Quod quidam negantes dicunt, quia in corpore non descendit, ergo non ascendit: uerum est, non descendit, sed ascendit, quia eleuatus est in cœlum illo leuante qui ascendit, cum eiusmodi corpora sunt quouis facile penetrabilia, unde & sedet in dextera Dei patris, in beatitudine æterna, qualia & corpora nostra post resurrectionem futura sunt, iuxta Apostoli uerba. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Sed hæc ad præsens sufficiant, plura de dignitate corporis dicemus postea, cum de resurrectione mortuorum tractabimus, iam de præstantia animæ nostræ aliqua dicamus.

Math. 15.

Augusti. in lib. de agone christiano.

Ioan. 3.

1. Cor. 15

CAPVT XXII.

Septima dignitas, à creatione ad imaginem Dei.

DVplicem substantiam esse in homine superius diximus, mortalem ut corpus, immortalē uero animam rationalem. Hinc diuus Paulus duplicem appellat hominem, exteriorem corpus nostrum quod indies corrumpitur: ac interiorem quæ in nobis renouatur, ut anima nostra per uirtutes ac opera bona quæ ex fide fiunt. Cum itaq; homo ad imaginem Dei est creatus, quærendum est nobis, an in homine exteriori corpore nostro, Trinitatis sanctæ imago eluceat. Neque enim frustra iste homo dicitur, nisi quia inest ei nonnulla interioris similitudo, & illo ipso ordine conditionis nostræ, quo mortales atq; carnales effecti sumus, facilius & quasi familiarius uisibilia quàm intellectibilia pertractamus, cum ista sint exterius illa interius, & ista sensu corporis sentiamus, illa intellectu. Sensu igitur corporis homo præditus sentit corpora, & iste sensus quod facile aduertitur (ut & ante diximus) quinque patttus est, uidendo, audiendo, o faciendo, gustando, tangendo, & sic in sentiendo quocunq; sensu ac rem cognoscendo, homo Trinitatis sanctæ uestigium habere uidetur, iuxta sententiam Augustini qui ait. Non est necessarium ut omnes quinq; sensus

Augustinus libro xi. de Tri.

ſenſus ad id quod quærimus interrogemus, quod e-nim unus eorum renũctiat, id in cæteris ualet. Itaq; potiſsimum teſtimonio utamur oculorum, is enim ſenſus corporis inter alios excellit, & eſt uiſioni mẽtis pro ſui diuerſitate uicinior. Cum itaq; in ſenſatione tria concurrunt, ſenſus, obiectum, & ſenſatio, ut in uiſione primo res ipſa quam uidemus, ut lapis, color, deinde uiſio, & ſenſus rei, quæ cum ſint diuerſarum naturarum, tamen in unam cognitionem uiſus perueniunt, ac una cognitio ex his fit, & ſic ueſtigium Trinitatis ſanctæ uidentur à longinquo repræſentare, tres naturæ in unum concurrentes. Licet Deus non ſit corporeus quia paſsibilis ac uiſibilis eſſet. Sed quia corpus noſtrum etiã ab eo creatum eſt, ideo etiam in eo quæmadmodũ in alijs rebus, imago Trinitatis ſanctæ apparet. In omnibus enim naturalibus rebus materiam ac formã eſt inuenire, ac eſſe rei. Quæ cum ſint tria ac unum, uidẽtur Trinitatem ſanctam repræſentare, ſpecialiori tamen modo in homine ſolo elucet, cum ſit nobiliſsimꝰ creaturarum, hic in mundo: eò quòd immortalem poteſtatem in ſe habeat ac diuinam, unde tota dignitas humanæ conditionis, ex conſilio ſanctæ Trinitatis cognoſcitur, cum opera mentis diuinæ ſit creatus homo, ut ex primæ conditionis honore intelligeret, quantum deberet ſuo conditori, dum tamen in conditione mox dignitatis priuilegiũ tribuit ei conditor, ut tantò amplius diligeret conditorẽ ſuum, quanto mirabilius ab eo ſe conditum, intelli-

Anima imago Dei

Ambrosi. de dignitate hominis.

August. in lib. de anima & spiritu.

Math. 22.

geret, non ob hoc solum, quòd consilio speciali sanctæ Trinitatis excellenter conditus sit, sed etiam ad imaginem & similitudinem suam ex parte animæ, Deus eum creauit, quod nulli alteri ex creaturis donauit, quæ imago animæ nostræ inest, iuxta diui Ambrosij & Augustini dicta. Anima nostra ad imaginem perfectæ ac summæ Trinitatis quæ est in patre, filio, & spiritu sancto, condita est, & licet unius sit naturæ, tamen tres in se uires habet, Intellectum, Voluntatem & memoriam. Quod idem etiã alijs uerbis in Euangelio designatur cum dicitur. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, id est intellectu tuo, ex ex tota uoluntate tua, & ex tota memoria tua. Nam sicut ex patre generatur filius, & ex patre filioq; procedit spiritus sanctus, ita ex intellectu generatur uoluntas, & ex his ambobus procedit memoria. Nec enim anima potest esse perfecta sine his tribus; nec horum trium aliquod, sine his duobus integrũ constat, quantum ad suam pertinet habitudinem. Et sicut Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus, nõ tamen dij tres sunt, unus Deus, & tres personæ: ita anima intellectus, anima uoluntas, anima memoria non tamen tres animæ in uno corpore, nec tres, uel duæ animæ, esse in homine uno dicendæ, sicut Iacobus, & alij Asyriorum scribunt: unam animalẽ qua animetur corpus, quæ mixta est sanguini, alteram spiritualem, quæ rationem ministrat: sed dicimus unam eandem animam in homine esse, quæ & cor-

pus

pus sua societate uiuificet, & semetipsam sua ratio-
ne disponat, habens in se libertatem arbitrij, ita ut
sit libera ad agendum bene, & male, iuxta quod di-
citur in Ecclesiaste. Deus ab initio constituit homi- Ecclesi. 15
nem, ac reliquit illum in manu consilij sui: adiecit
mandata & praecepta sua, si uolueris mādata ser-
uare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem pla-
citam seruare, Apposuit tibi aquam & ignem, ad
quod uolueris extende manum tuam, ante hominem
uita & mors, bonum & malum. Cum uerò anima
sit simplex substantia, incorporeaq; una est, tamen
& potestate operationum distinguitur. Prima eius Animae o-
operatio est intelligere uerba, sensumq; uerborum. peratiōes
Secunda discutere ac discernere uera à falsis. Ter- tres
cia est inuenire. Atq; in his tribus quae ab anima ue-
niunt operationibus, potentiae animae distinguun-
tur, uidelicet, intellectus, uoluntas & memoria, di-
uinam imaginem repraesentantes. Nam noster ho-
mo interior & ex his excellentioribus animae uiri-
bus est, iubemur itaq; diligere conditorem, inquan-
tum intelligitur: & inquantum diligitur semper in
memoria habeatur. Nec solum sufficit de eo intelle-
ctus, nisi fiat in amore eius uoluntas, imò nec haec
duo sufficiunt, nisi memoria addatur, quomō semper
in mente intelligentis & diligentis maneat Deus.
Vt sicut nullum potest esse momentum eius sine esse,
ita nullum sit momentum, quo praesentem non ha-
beat eum in memoria, & ideo iuste uidetur dictum
esse, nostrum interiorem hominem esse imaginē Dei,

1. Ioã. 4. nunc similitudine aliqua utamur ad faciliorẽ cognitionem, nam Deus est charitas, iuxta Ioannis dicta, Et est bonus, iustus, patiens ac mitis, mundus & misericors, ita homo creatus est ut charitatem haberet, ut cum Deo habitare posset, sequens eum, ac tollens secum crucem, patientiæ, tribulationis, angustiæ, bonitatis, iustitiæ, iuxta admonitionẽ domini

Math. 11. nostri Iesu Christi, qui ait. Qui uult uenire post me abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me. Iis uirtutibus ornatus, similitudinẽ Dei gerit creatoris sui, si uerò, quod absit, per deuia uitiorum, & diuerticula malorum, ab hac nobilissima sui conditoris similitudine, degener existens aberrauerit, impletur in eo dictum psaltis. Homo cum in honore esset non intellexit, assimiliatus est iumẽtis, & similis factus est illis. Vnde admonemur ne imaginem Dei per uitia degenerare faciamus, & brutis similem reddamus, uitam eorum sequentes, ne simili morte ut illa (quod absit) pereamus. Recte

Plato in Alcibiade nos admonet Plato, qui præcipit, cognoscere seipsum, animam nosse iubet, Quicunq; ergo corpus cognoscit, sua quidem non seipsum nouit, sic cui pecuniæ, uel mundana curæ sunt, curat sua. Iam qualis anima sit uidendum.

CAPVT XXIII.

Octaua dignitas, ab immortalitate animæ.

ET quia anima nostra est simplex, æterna, immortalis, uude ex his præstantiam eius uideamus. Plato interpretatur sic animam. Animam antiqui uocitarunt, quoties corpori adest, causa existens illi uiuendi ac respirandi, & cum primum abscesserit quod refrigerat dissoluitur corpus, ac interit. Aristoteles uerò ait. Immortalem, simplicē æternā sub nomine intellectus, ac separabilem. Hoc enim separabile dicimus, quod sui ipsius est, quod seipsum uiuum reddit, quod mortem atq; interitū subire non potest, quod in seipsum collectum se ac alia cognoscit, mediante corpore operationē suam exercens. Qualis est animus noster, qui cum intelligere uult, recedere à corpore eum oportet, atq; ipso animo res ipsas considerare, atq; tunc ut apparet compotes eius quod affectamus erimus, cuiusuè amatores profitemur non esse, id est, sepientiæ, cum mortui fuerimus, dum aūt uiuemus nequaquā propter corporis impedimenta: unde & uiros contēplatiuos in speculando, uocamus extra se esse, non uulgaris gloriæ gratia. Philosophus à ciuilibus absti net, sed corpus duntaxat eius in urbe habitat atq; uersatur, mens aūt hæc omnia parui imò nullius existimans, passim uolat, ut ait Pindarus. Et quæ sub terra sint, & quæ plana dimetiens, per quæ Astronomia cœlum transcendens, omnem perscrutatur naturam rerum omnium, quæ ad uniuersum pertinent. Hæc de eius separatione. Aeternam dicimus, quia ut semel creata est à Deo, semper durat, æternū

Aristote. 3. de anima.

Seperabile.

Plato in Phædone

Aeterna.

 enim est

immortalis.

enim est, quod semper durat nunquam interit. Immortalē uerò, quia morti non est subiecta, nisi mortem quam, quis dicat æternam cui ob peccata obnoxia sit. Aristoteles uerò sub nomine νοῦς, dicit eam esse seperabilem, immortalem ac perpetuam in hæc uerba, χωρισθεὶς δὲ ἐστὶν μόνον τοῦθ' ὅπερ ἐστὶ καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον, ὁ δὲ παθητικὸς νοῦς φθαρτὸς καὶ ἄνευ τούτου οὐθὲν νοεῖ νοῦς i. seperatus, uero id est solum quod est, atq; id solum est, immortale perpetuumq;, & æternū, passiuus uerò intellectus extinguitur. atq; sine hoc nihil intelligit. Et ex eo loco Auerrois error, ac aliorum pullulauit, ut meminimus ante, qui unum intellectū æternum esse dicunt ac separatum, putantes quoq; Aristotelem sic eum locum intellexisse, sed audiant obsecro tales eundem seipsum alio loco interpretātem, ubi de Deo tractatur in Methaphysicis de anima nostra, quam ait incorruptibilē etiam sub nomine intellectus, nam sic eam νοῦς appellat ex sententia Symplicij in libris de anima, in hæc uerba, εἰ δὲ καὶ ὕστερόν τι ὑπομένει σκεπτέον ἐπ' ἐνίων γὰρ οὐδὲν κωλύει, οἷον εἰ ἡ ψυχὴ τοιοῦτον μὴ πᾶσα ἀλλ' ὁ νοῦς πᾶσαν γὰρ ἀδύνατον ἴσως, Si autem aliquod posterius permanet considerandum est, ueluti si anima tale sit, non omnis, sed intellectus, omnem namq; fortaßis impoßibile est. Nam cum in tres potentias anima partita est, uegetatiuam, sensitiuam, ac intellectiuam, eam æternam esse uoluit, Sic & Augustinus ait Cū anima nostra sit immortalis, nam ab initio quò creata est,

Aristoteles tercio de anima.

Aristoteles 12. metaphy.

Aristoteles 2. de anima.

Aug. lib. 14. de tri.

est, nunquam deinceps esse desistat. Hinc antiqui laudandi ueniunt, qui animæ immortalitatem sentiebant, quia meliores alijs sunt, & quia Deus immortalis uerè solus dicitur, cũ sit immortalis. In omni enim mutabili natura, nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit aliquid nõ esse in eo quod erat, propterea, ipsa anima qualitercunq; dicitur immortalis, quoniam qualitercunq; secundum modum suum nunquam desinit uiuere, habet tamen pro ipso suo modo, quandam mortem suam, quoniam si iuste uiuebat, & peccat, moritur peccato, & hæ sunt mutationes eius, Dicitur simplex cum non sit composita, sed forma quia incorporea. Vnde Augustinus ait. Creatura spiritualis sicut anima, est quidem in corporis comparatione multiplex, simplicior uerò corpore, quia non mole diffunditur per spiritũ loci sed in unoquoq; corpore, & in uno toto: tota est, & in qualibet parte corporis tota. Hæc quo ad immortalitatem animæ, simplicitatem ac separationẽ, sint dicta, nunc de uita dicendum.

Simplex.

Libro 6. de Trinitate.

CAPVT XXIIII.

Nona dignitas, à vita.

CVm anima sit qua uiuim9 dicta ab animãdo seu uiuẽdo, unde Hæbræis dicitur נֶפֶשׁ anima ab animando seu recreando, uerum ψυχή à Græco ψυχάζω refrigero, & dicitur uita ratione

operationis

operationis Græcis ζωὴ secundum Eustratium, quasi ζεῦσα, id est feruens substantia, quæ uiriles uires ac facultates ebuliendo producit, inde anima nostra uita dicitur, quia per eam operationes corporis exercemus, sed quid dico animam uitam, nã sola ueritas de se loquitur. Ego sum resurrectio & uita. Augustinus respondet. Magna conuenientia est inter Deum & hominis animam, Deus namq; uita est spiritus est, in quo spiritu sapientia est, & amor, uita Deus, uita & anima, & similis & dispar, similis quod uita, quod se ipsa uiuens, quod non tantũ uiuens sed etiam uiuificans, sicut & ille, hæc omnia; Est dispar, quoniam ille creator est, & ista creatura, nisi enim ista ab illo creata esset, nõ esset: & nisi ab illo uiuificata non uiueret, uiuit anima naturali uita, etiam si spirituali non uiuat, sed talis uita mors est potius quàm uita, quoniam mors peccatorum pessima, anima uero quæ secundum carnem uiuit, uiuens mortua est, & ideo bonum illi erat nõ uiuere, quàm sic uiuere, Vita anima est uiuens quidem sed non aliunde nisi a seipsa, ob hoc non tã uiuens quam uita est, inde est quod infusa corpori uiuificat illud, ut sit corpus de uitæ præstantia, nõ uita sed uiuens, creata est anima à Deo, uita à uita, simplex à simplici, immortalis ab immortali, ut non sit lõge à creatore suo cui appropriari uidetur simplicitate essentiæ & perpetuitate uitæ, licet enim spiritualiter non uiuat, immortaliter necesse est ut uiuat. Creata est anima magna á magno, recta à recto, eò

ęto, eò magna quò capax est æternorum, eò recta quò appetens superiorum, eò beata quò Deo unita, inde & diuina dicitur, quasi Deum amãs & colẽs.

CAPVT XXV.

Decima dignitas à cognitione animæ rationalis.

CVM à principio præmisimus duplicem cognitionem, sensus ac rationis. Iam à cognitione sensus animam laudauimus, ab eius gemina cognitione quæ fit per rationem cõmendanda est, cõpertum enim est nobis, quàm diu anima est in corpore, non nisi per species à rebus abstractas in sensum, ac in phantasmate locatas, cognitionẽ earum habere, cum anima nostra à principio sui est tanq̃ tabula rasa, in qua nihil depictum, aptum tamen natum depingi, Intellectus paßibilis, species immateriales à phantasia accipit, & præsentat eas intellectui agenti, qui eas illuminat ac facit intelligere. Et quemadmodum ad sensationem tria concurrunt, sensus, medium, & obiectum. Sic ad intellectionem species intelligibilis, intellectus passibilis, præsentans, & agens illuminans, & sic intellectio rerum secundum philosophum causatur, qui animam dicit esse omnia cum in se species omniũ rerum suscipiat, num talem cognitionem in brutis inuenies? minime, cum ratione caraent, Solus itaq; homo

Aristoteles 3 de anima.

homo habet animam capacem sapientiæ, cum nullũ animal aliud ab homine inuenias eiusmodi esse, anima enim nostra omnium in se rerum gerit similitudinem, Habet siquidẽ in se uires quibus omnia apprehendit, siue inuestigat, & omnibus similis existit, similis enim est terræ per sensum, aquæ per imaginationem, aeri per rationem, firmamento per intellectum, cœlorum cœlo per intelligentiã, similis est lapidibus, per essentiam: arboribus, per uitã: animalibus, per sensum & imaginationẽ: hominibus, per rationem: Angelis, per intellectum: Deo per intelligentiam. Et sicut Deus omnium est particeps, sic anima nostra omnium est capax, suscipiens à phantasmate, species particulares, reddit uniuersales & agnoscit eas, cum sensus est particulariũ, intellectus uero uniuersalium, Cognoscit etiam se, quia uidens alia à se cognoscit se, nil enim magis sibi est præsentius, quàm solus intellectus, unde cognoscit se uiuere, se meminisse, se intellexisse, se uelle, se cogitare, se scire, se iudicare. Hæc omnia nouit in se, nec immaginatur quasi extra se, sed in se, ergo est quoddã modo omnia, Cum ergo uult intelligere, anima abstrahit se à corpore, uelut diuina æternaq;, uel seipsam suasq; considerare uirtutes, ut aliquid ueri certi comprehendat, ab hac ipsorũ etiam oculorum luce se auertit, cum sensibus non adiuuatur, nisi ad sensibilia, & quãto melius se se abstrahit, tanto melius intelligit, etiam profunda non impedita affectibus, ut ante diximus.

3. de anima, & 1. physicorum.

CAPVT

Vndecima dignitas, à memoria.

QVia animas nostras in se quoddāmodo cōtinere omnia diximus, cum memoria sit potentia eius, quam Cicero thesaurum rerum omnium appellat. Eam constat esse duplicem, animi ac sensus, uariè animantibus inest; in his enim quæ solo sensu uiuunt, memoria admodum labilis est, nec recordantur nisi tantum eorum quæ ad uictum, ac uitam eorum conferunt uel nocent, hominum uerò memoria cum & sensus & animi est, & contingentium & æternorum habetur, nam utraq; recordamur, contingentium, cum ea quæ semper eueniunt recolimus, æternorum uerò, cum audimus uel uidemus quædam insolita, ut cum summam erga nos Dei charitatem ac misericordiam præ oculis habemus, qua in hanc uallem (Deus existens immortalis) miseriæ descendit, ac pro peccatis nostris passus est, & resurrexit. Memoria enim est rerum ante actarū & non præsentium recordatio, & cognoscitur ex potestate complexionis, Melancholici enim sunt tenacis memoriæ, ut Petra diutius tenent. Phlegmatici ad similitudinem ceræ, cito accipiunt & facile perdunt, hanc Cicero miratur inquiens. Ego maiore ui etiam quodāmodo memoriā admiror. quid enim est illud quod meminimus, aut quā habet uim, undeq; naturam habet suam, animus siquidē noster

De oratore libr. I.

Memoria duplex.

Memoria d. c.

uelut cæra, & tabula est, in quo uestigia rerum ac uerborum depicta continentur, unde memoria generatur, quæ cum in omnibus ualeat negocijs, tum maxime ad scientiam quæ solum hominibus inest; qua habita homo præstare cæteris maxime dicitur, cum non tantum terrenis sed etiam cœlestibus præest, nam uir sapiens dominabitur astris. Vnde & sapientes pares Deo esse dicimus. Memoria itaq; hominis cum in intellectu sit, etiam post mortem nobiscum durat, animæ siquidem non obliuiscũtur ante actorum, quod ex Euangelio didicimus, dum diues recordatus est fratrum suorũ post mortem existens in pœnis, Et am sancti memores sunt nostri, cũ pro nobis orant. Memoria uero brutorum quæ fit ex sensu unà interit, & hominis etiam post mortẽ manet in futura uita. Præferenda est ergo merito alijs.

Lucæ 16.

CAPVT XXVII.

Duodecima dignitas ab inuentione.

ET quia cognitio omnis ac memoria inuentionem præcedere debet, à qua inuentio ortũ suum ducit, nunc animum nostrum ab inuentione uaria laudare uisum est, Si rerum omnium peritiã habet, necesse est ut à cognitione ac inuentione id fiat, quis enim primus rebus nomina indidit nisi animus noster? quis sonos uocis qui infiniti uidebãtur, pau-

cis

cis literarum notis terminauit? quis numeros uarios ac infinitos in naturam finitam signauit? quis literas omnigenas idiomatum nisi animus noster inuestigauit? quis motus errantium stellarum, ac orbium cursus, progreßiões, stationesq; notauit? quis signa stellarum uarias figuras distinxit? quis gradus cœli ac terræ mensus est? quis uestitum? quis domos, tecta, muros, ciuitates, urbes, mænia inuenit? quis præsidia uaria? quis cultum uitæ? quis artes non solum mechanicas, sed liberales, naturales, supernaturales, Medicinæ, Iuris, Theo ogiæ inuenit, nisi animus humanus? quasdam ad utilitatē uitæ communes, quasdam uerò tantum ad contemplationem conferent. tolle artes nonne omnia squallida, ac tenebris obruta erunt? omnes pueri erimus, uita hominis non absimilis morti erit, tolle fruges, tecta, domos, uestitus, cultum uitæ, medicamēta, quātis incommodis, calamitatibus prememur? tolle ordinem rerum ab anima; nonne omnia pessum eūt? tolle modum, finem, quid manebit nisi chaos, confusioq; quædam? tolle conuictus, utilitatem, quid nisi odia, bella manebunt? oportet enim proximæ et secundum Deum homines hominibus esse utiles, ut inde pax ac mutua foueatur charitas, quæ si manet in finem nostrum recto itur tramite, huic dispositionem addas, sine qua inuentio manca, quo nam alio res nostras ac actiones disposuimus nisi animo, futura præuidendo, præsentia ordinando, præterita recordando.

CAPVT XXVIII.

Tredecima dignitas, ab actiōe.

IAM tandem ab actionum uarietate quæ ex dispositione, ac inuentione animi procedūt laudes eius explicabimus, cū uariæ actiones uiuentium sint non nisi ob finem consequendum, ad quem natura destinantur, hinc quædam uiuentia per paucas ad modicas actiones finem suum consequuntur, ut plātæ fortasse una actione uidelicet uegetatione, licet nutrire, crescere generare sibi simile ex ea fluant, hinc bruta non tantum has sed & peculiares actioēs habent, tanquam magis perfecte, ut sentire, concupiscere, moueri, quibus in finem suum tendunt, homines uerò non tantū his quas his inesse diximus, sed multo nobiliores, ab anima rationali manātes: quales sunt, aprehendere, cognoscere, inuenire, disponere, intelligere, prouidere, iudicare, ratiocinari, contemplari, & aliæ innumeræ quibus in finem suū itur, uidelicet fœlicitatem æternam, & non eā qualem Aristoteles habere uult, in hac uita, per operationem hominis, per uirtutem rectam in uita perfecta, & ciuili, uel quæ sit in contemplandis æternis, ac Deo, & hæc in uita speculatiua sistit, sed magis æterna (de qua dicemus) quā expectamus, ac speramus futuram post hanc uitam, quam antiqui philosophi ne somniauerunt quidem, præter Platonicos, procul tamen à uera ac genuina ratione existē-

tes.

ctes. Cum itaq; ad eum finem uarię itur, quidā per uoluptates, quidam per diuitias, quidam per honores eundem assequi putant, hinc actiones uariæ sequuntur quibus ad eum quem cupiunt finem ire satagunt, quidam enim sequũtur affectus, ut iram, odium, amorem: quidam ex his pullulantes, ut superbiam, auariciam, luxuriam, gulam, inuidiam, quæ sunt opera carnis tendentia in finem aliũ, nēpe damnationē æternam: quidā uerò spiritu sancto ducti sequuntur aliam uiam, uidelicet spiritus opera, quæ sunt fides, spes, charitas, modestia, temperantia, continentia, castitas, prouidentia, iusticia ac fortitudo, ac uirtutes omnes, quæ et ex asuefactione in nobis fiunt si Aristoteli credimus, uel potius dona Dei sunt. Si Platoni, à quibus quidem denominantur, modesti, temperati, continentes, casti, prudentes, iusti, fortes, cum talia agunt quales uolunt haberi. Qualis enim quisq; est talia agit ac operatur. Vnde ex operibus suis agnoscuntur ac iudicātur, ut Saluator noster agit. Bona arbor non nisi bonum fructum producere potest, mala non nisi malũ. Et sic unusquisq; ex fructibus agnoscitur. Math. 7.

CAPVT XXIX.

Decima quarta dignitas, ab amore.

ET Licet simile amat sibi simile, tamen homo amore superat omnia, cũ non tantum sibi si-

mile amat, sed Deum omnipotentẽ, qui excellit omnia, hinc ab autore homo laudandus uenit, per eũ siquidem in Deo manere potest: sicut Ioannes ait.

1. Ioan. 4 Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo.

Obiectio de amore Dei. Sed dices quomõ Deũ amare possum, quem nunquã uidi, quia nemo diligit quod ignorat. Tametsi Deus à nobis nunc nisi ab effectibus cognoscitur (ut Apostolus ait. Ad Ro. 1. Per eà quæ sunt uisibilia: inuisibilia eius cognoscimus) tamen fide ac mente accedimus ad Deum cognoscendum, credendo eum esse creatorem ac redemptorẽ nostrũ. Et licet in hac uita non perfecte agnoscitur à nobis, tamen anima nostra cum pura sit, adhæret ei, uidet eum, ut Augustinus testatur inquiens.

Augusti. in lib. de anima et spiritu. Anima rationalis inter eas res quæ sunt à Deo conditæ, superat omnia, & ideo Deo proxima est, quando est pura, eiq; inquantum charitate cohæserit, intantum ab illo lumine intelligibili perfusa, quandoq; & illustrata, non per corporeos oculos, sed per sui ipsius principale, id est intelligentiam Deum cernit, amat: in quo est perfectißima pulchritudo & beatißima uisio. Habet itaq; anima in se amorẽ, quo semper potest stare cum Deo, aut redire, si mota affectibus fuerit. Solus est amor ex omnibus animæ affectibus atq; sensibus, in quo potest anima, & si non ex æquo suo respõdere autori, uel de simili mutuam rependere uicem, & minus amat quoniã minor est: tamen si ex tota seipsa diligat Deum, nil ei deest ad amãdum. Renũtians ergo totis affectibus

ac tota

ut tota incumbens soli amori, effundens se totã in amorem illius, amat eum. Amat siquidem Deus, ut ametur: & cum amat non aliud uult quàm amari, sciēs ipsos amare beatos qui se amauerint, per amorem uenit ad homines factus homo, & deliciæ eius esse cum filijs hominum, nostræ uero deliciæ erunt cum ad eum ueniemus & uidebimus eum sicuti est, atq; similes ei erimus. Hic iam non audiendus est Aristoteles, qui ait. Amicis non optare ea bona ut dij sint, quoniam ulterius amici esse cessabunt. Iam magis audiendus nobis erit Paulus, qui ait. Qui autem adhæret domino, unus est spiritus, sancti adhæserunt domino ergo unum sunt, si eos hic amabam9 ex præcepto Dei, multo magis amandi à nobis sunt cum sint amici Dei. Et si Deus nos amat, etiam sancti qui membra sunt eius, cum nil uolunt quod esset diuinæ uoluntati contrarium. Cum itaq; fœliciter adhæserunt domino (ut Augustinus ait) ante passionem domini omnes animæ sanctorum in inferno sub debito præuaricationis Adæ tenebantur, donec authoritate domini per indebitam eius mortē à seruili conditione liberarentur. Post ascensionem domini in cœlos, omnium sanctorum animæ eunt ac cum Christo sunt, ad quem post mortem redeũt, expectantes resurrectionem corporis sui, ut in integrã perpetuamq; similitudinē cum ipso pariter immutentur. Adhærentes itaq; Deo immortaliter uiuunt, tunc enim satiatur in bonis desiderium eius, secundum Psaltem. Satiabor cũ apparuerit gl'a tua.

Aristoteles Eticis 8.

1. ad cor. 6

Augusti. in ecclesiasticis dogmatibus

Psal. 102

Augusti. 8. de Trinitate. Diligimus itaq; sanctos quẽadmodũ ipsi nos ob eorum uirtutes, ut Augustinus ait. Diligimus Apostolum nunquid propter humanitatẽ uel humanam speciem quam notißimam habemus, eò quòd credimus eum hominem fuisse? non utiq;: alioquin nũc non est, anima eius à corpore separata est, sed id quod in illo amamus etiam uiuere credimus, amamus enim animum iustum, ex eo, quia scimus quid sit animus iustus, cum non amamus quæ ignoram9. Sancti enim iustitia sua, & operibus ex fide fulserunt, relinquẽtes nobis uestigia uirtutum, quæ hucusq; per miracula in sanctis uirtute Dei exhibita lucent. Diligimus itaq; non solum eos, qui præsentes nobis sunt uirtute præditi, qui amor est honestus ac

Poruerbiorum 17. semper durat (ut Sapiens ait) Qui uerè amicus est omni tempore amat, Nec tempore tribulationis is amor cessat, ut ille qui fit gratia utilis, uel deliciarũ

Eccle. 6. teste Sapiente. Est amicus mensæ qui non permanebit tempore neceßitatis. Tales amici sunt cauendi, est ne similis amicicia in cæteris animantibus, quæ se ad Deum ac sanctos eius extendat? minime. Ergo præcellit homo in amore alia, amans bona, odiens mala. Hæc de amore sint dicta, ad alia pergamus.

CAPVT XXX.

Decima quarta dignitas à mirabilitate.

ET si multa miracula sint in hac uniuersitate rerum,

rerum, ab opifice Deo producta, tamen nil adeò nobis mirandum uenit, præter mentem humanam.
Et si plures Chamaleonem admirantur, cũ diuersas in se induerit formas, multi torpedinem, cuius tactu in rete, manus trahentium torpescunt. Multi Elephantem cuius uastitas immensa etiam turres ac armatos fert: mentem tamen hominis nihili ducũt, quæ omnes formas, omnes colores immateriales, rerum in se induit: omnia pariter sentiendo ac intelligendo. Nec tantum naues ut remoræ retardat, uel manus obstupescere facit ut torpedo: sed cõsilijs rationeq; dicendi, uim bellorum sæuientem sedat: & non tantũ moles uastas ut Elephas suffert, sed omnia tam cœlestia quàm terrestria in sui substantia continet. Quinimo tam uelocis motus est, ut in ictu (ut aiunt) oculi, immensa penetrat, quæ in terra, cœlo, mari, aère, igne, uel in tenebris, carcere cæco clausa contineantur, se seq; cum Deo immortali coniũgit. Nil itaq; animo uelocius, nulla est celeritas, quæ posset cum animi cæleritate contendere. Qui si permanet incorruptus suiq; similis, necesse est ita feratur, ut penetret & diuidat omne cœlum. Inde Astronomi scrutantur superiora, futura prædicant, cum motus syderum uarios, non tam aspectu, sed magis animo appræhendunt. Inde finita ab infinitis distare faciunt: inde maria, terram, & omne quod in eis continetur, una cum cœlo distinguimus, gradibus, situ ac motu: inde altitudinem cœli & profunditatem inferorum facili momento percurrimus, sin

gula metiendo : cum omnia in numero ac pondere condita sunt. Anima enim nostra libera est, & diffusis cogitationibus atq; consilijs huc atq; illuc uagatur, quæq; considerando spectat omnia. Ecce nūc sumus in Polonia, cogitamus tamen quæ ad orientales, aut occidentales partes spectare uideantur, et cū illic uersari uidemur, sequimur proficiscentes, inhæremus peregrinantibus, copulamur absentibus, alloquimur seperatos, defunctos quoq; ad colloqium suscitamus, eosq; ut uiuentes complectimur & tenemus. Hic est uigor mentis quæ absentes uidet, trāsmaria uisu nouit, percurrit aspectu, scrutatur abdita, huc atq; illuc uno momento sensus suos, per totius orbis fines, & mundi secreta circumfert, quæ Deo iungitur, Christo adhæret, descendit in infernū atq; ascendit, libera uersatur in cœlo, eò quòd nostra cōuersatio est in cœlis. Cum itaq; sit mirabilis, cita, ac uelox; in momento cuncta transcurrens, quāti æstimari possit dicamus.

ad phili. 3

CAPVT XXXI.

Decima sexta dignitas, à præciositate.

ET si aurum, uniones, lapides magniducimus, nil tamen inter creata adeò præciosius est ut anima nostra Aristotele teste, qui ait. Eorum quæ nobis insunt anima est præstabilissimum, & si parua est mole, ui tamen & præcio omnibus antecellit.

Aristote. 10. ethic.

Quæ

Quæ cum per ſeductionem Diaboli originali pecca-to perierat, in ipſo homine Adam in quo & omnes peccauimus, cum in eo uelut maſſa cōtenti fuimus, ac in manus ſathanæ traditi, nemo poterat nobis ſuccurrere ob peccatum, niſi Saluator noſter Apo-ſtolo teſte. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Qui Deus exi-ſtens æqualis Deo patri ab æterno immortalis, im-paßibilis, æternus, ex uirgine incarnari uoluit Ma-ria, ut eo mortali corpore tectus, in redimendo nos paßione ſua, ex diaboli manu eriperet, quod & fe-cit, in hanc uallem miſeriæ deſcendens, relictis nouē choris Angelorū, ad ouem perditam, ut eam in cau-lam ſuam reducat, ideo de ſeipſo loquitur. Filius ho minis non uenit animas perdere, ſed ſaluas facere. Et animam cōmendans ait. Quam ergo cōmuta-tionem dabit homo pro anima ſua, q. d. nullam, quia nil ei æquiparari poteſt in uita hac, pro qua dominus non tantum deſcendere de cœlo, ſed & na ſci amarißimamq; mortem pati, ac præcioſißimum ſanguinem effundere uoluit. Quod & Petrus ad-mirari uidetur dicens. Sciens quod non corruptibi-libus, auro uel argēto redempti eſtis, ſed præcioſiſ-ſimo ſanguine agni immaculati, Christi, & incon-taminati, nunquid aliud melius anima ipſa dari po teſt, ad quā redimendā dominus è cœlis uenit ? Ideo ſolus ait. Quid prodeſt homini ſi uniuerſum mun-dum lucraretur, animæ uero ſuæ detrimentum pa-tiatur. Audi Christum loquentem, qui diuitias, qui bona externa animæ tuæ præfers : audi qui animā

1. cor. 15.

Lucæ 9.

1. Pet. 1.

Math. 16.

tuam pro pecunijs cum Iuda uendis, prō qua dominus passus: audi qui animam tuam delicijs perdis, dicens similem esse brutis, non somnia narro, uerba Dei sunt. Hunc thesaurum è cœlo nobis datum uase nostro testaceo gerimus, ad quem quærendū dominus uenit, ac agrū ubi erat, triginta denarijs mercatus est, in quo hanc margaritham mucore obsitā squalido inuenit, ac sanguine suo ablutā inter cœlestia locauit. Contemnenda ergo sunt hæc omnia, quæ in hoc mundo, & quibus utimur ad uiuendum, cum sunt causa hominis facta, & non homo propter ea, sed propter cœlestia assequēda est fastus, abijcienda gula, spernenda luxuria, odium fugiendum, ira remouenda, actidia uitanda, auaricia nō sectanda, non animam uitijs propter quam Christus passus est, sed uirtutibus ornemus, non perdamus animam, propter quam dominus passus est, nō alienandum sponsam à sponso, quam sibi per fidem desponsauit. Nec rursus diabolo danda est, quæ ex faucibus eius nuper erepta, nec tradenda est morti, quam uiuificauit, sed immaculata custodiēda est, ut sponsum suum sequi poßit quocumq; ierit.

CAPVT XXXII.

Decima septima dignitas, à Dominio.

CVM itaq; sit præciosißima anima nostra, nō solum ad imaginem Dei creata, sed & præciosißimo

tiosißimo sanguine domini redempta, rationabiliter corpori nostro ac sensibus & uniuersis creatis est præfecta. Quod & Augustinus expreßit dicẽs, Quis est qui carne utitur ad operandum, nisi anima, ergo princeps domina carnis naturaliter anima est, quæ domare carnem debet & regere, ideo fulta gratia Dei, ait. Non timebo quid faciat mihi caro. Et non tantum carnis suæ, sed omnium animantium præses est, quod & Ouidius, primo Methamorphoseos testatur.

Augusti. lib. 2. contra Iulianum.

Sanctius his animal mentisq; capatius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari iter cætera posset.
Natus homo est, siue hunc diuino semine fecit
Ille opifex rerum mundi melioris origo,
Siue recens tellus, seductaq; imperat alto
AEtere cognati continebat semina cœli.

Sed non opus est nobis ethnicis, audiamus Mosen dicentem. Faciamus hominem ad imaginem nostrã qui præsit piscibus maris, & uolatilibus cœli, & bestijs, & uniuersæ terræ. Ideo rationalem creauit, ut præsit his quæ sensu reguntur. Quemadmodũ enim ille præest in cœlis, sic hominem uoluit dominari in terris, non secundum corpus quod est simile eis, sed secundum animam. Vnde Augustinus ait. Intelligamus hominem interiorem præesse creaturæ, factum ad imaginem Dei, in quo irrationabilius antecellit. Psaltes uerò sapientiam ac dispositionem Dei miratus in hæc uerba eroumpit. Quid est homo quia memor es eius, aut filius hominis quia

Genesis 1

Augusti. lib. Genesis 3.

Psalmo 8

reputas

reputas eum? Minuisti eum paulò minus ab angelis, Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eũ super opera manuũ tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues uniuersas, insuper & pecora campi. Præest siquidem eis in moderando; dominando, cicurando, Quod Damis miratus (ut

Lib. 2. in uita Apolonij. Philostratus ait) puerũ Elephanti insedere ac moderari, ab Appolinio quæsiuit, cur tam paruus puer existens, beluæ tam uastæ molis imperat, illam quocũq; uelit dirigens baccillo, neq; illius aspectum neq; altitudinem formidans? Respondit Apolinius Beluam præ cæteris disciplinabilem esse, atq; ubi semel à ratione regatur, & sub homine uixerit, ab eo omnia perfert, etiam morum similitudinem ab eo induit, gaudens eius aduentu, ac uelut canis blãditur domino suo. Non tantum in cicuratis dominiũ ei dedit dominus, sed etiam feris indomitis, nullum enim est inuenire animal adeò ferum, quod homini

Psal. 90. parere nolit. Quod Psaltes non tacuit dicens ad hominem. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & draconem. Notans his uerbis omnia quantũcunq; nociua homini subesse. Cur ergo contemnis dominũ ô homo, cũ te Deus præfecit illis? nõ te ingeris alienis, sed proprijs, quæ tibi dominus commisit? cur te similem bestijs facis, cum sis dominus ac moderator earũ? cur mãcipium uile esse uis seruiens peccato? cum te dominus præ esse uult? cur te transmutas in bestiam ut

Daniel. 4 Nabuchodonosor Rex, ut fœnum edas, cum pane

cœli

cœli dominus te pascit? cur te reddis animalē, terrenum, cum te dominus spiritualem ac cœlestē esse uult? cur mori ut bestia uis, cum scias dominū pro te passum, ac liberare te à morte æterna? cur non potius cupis cœlestia, ut poßis cū Deo regnare, quā terrestria ut seruituti æternæ ac morti te subijcias, cum Diabolo regnaturus? Impera itaq; carni tuæ sensibus, uitijs, regat te ratio, non sensus, impera brutis, his pro uictu ac seruitute utere, impera feris ut tibi subsint, non des illis dominium, sed tu dominare his: facile tibi parebunt, si tibi ipsi præsens imperabis, te ipsum uincas, te ipsum agnoscas, & quod sis immortalis illa mortalia, & quod sis incorruptibilis, quo ad animam, illa corruptibilia.

CAPVT XXXIII.

Decima octaua dignitas, ab immortalitate animæ, ac iudicio eius.

Et si ante admonuimus animam nostram; cum sit æterna non posse interire: ut id tamē clarius appareat, definienda est mors, ut exinde pateat an animæ insit. Plato mortem sic deffinit. Est dissolutio animæ à corpore, separatio æterni ac immortalis à corrupttibili & caduco. Sicut enim lux Solis quæ est incorporea, separatur ab aere, & ab omni intelligentia oculorum sine corruptione, sic anima à corpore, ut queadmodū de foris uenit à Deo creata, Plato in Gorgia.

creata, sic ad eundem tanquam ad autorem uitæ ac iudicem suum redit: offerens ea quæ gessit in uita, siue fuerunt bona, siue mala, premiũ acceptura. Quod & antiqui somniati quidem sunt, nõ tamen crediderunt, cum Minoij ac Rhadamaniti tãquam iudicibus animas post mortem separatas offerri dicebant, quæ cum in conspectũ eorum uenerint, apparebat quæ gesserãt, & sic pro bonis præmia dabant, pro malis pœnas, sicut sentire uidetur Mercurius Trimegistus, qui ait. In summi dæmonis potestatem animas mortuorum uenire, qui cum piã iustamq; præuiderit, in sui competentibus locis manere permittet, si uerò delictorũ illitam maculis, uitijsq; oblitam uiderit, de super ad ima detrudens, procellis turbinibusq;, aeris, ignis & aquæ sæpe discordantibus tradet. Hæc illi more suo fabulati sunt, nos audiamus Saluatorem nostrum de immortalitate animæ dicentem, Nolite timere eos qui corpus occidere possunt, animam non possunt, sed potius timete eum, qui animam & corpus occidere potest, & gehennæ tradere. En dominus animæ mortem non inesse agit, nisi peccatis obnoxiam inuentam, pœnam luere æternam. Corpus itaq; cum sit ex principijs corruptilibus, unà cum sensu ac potentijs suis necesse est interire, animam minime cũ sit immortalis. Non tamen sic, ut Deus (teste Augustino) ille enim solus immutabilis, solus immortalis, anima uerò ratione participationis dicitur immortalis: eò quòd secundum modum suum non desinit uiuere

Plato in Gorgia.

Ian Asclepiade.

Mat. 10.

In libr. 3. cõtra Maximum.

sinit uiuere

ſinit uiuere, habet tamen pro ipſo modo ſuo quandam mortem ſuam, quæ ſi iuſte uiuebat moritur iuſtitiæ, ſi peccatrix erat moritur peccato. Et cũ pro*pter peccatum in omnes homines tranſit mors, ſtatutum eſt hominibus mori, poſt hoc autem iudiciũ, & inde animam redire unde ſit.* Nam *à* Deo *per creationem uenit, & ad* Deum *á quo primum illi carni data eſt, redit.* Corpus *ne iudicabitur per ſeperationem? minime, nam mortuum corrumpitur; anima uero quæ præerat ei, iudicabitur à* Deo *ac Saluatore noſtro, ut ſolus teſtatur,* V*idebitis filium hominis ſedentem à dextris uirtutis* Dei, *& ueniẽtem in nubibus cœli.* Q*uod &* Angeli *aſcendente eo prædicabant* Apoſtolis *dicẽtes.* V*iri* Gallilei *quid admiramini aſpicientes in cœlum, ſic ueniet ut uidiſtis eum euntem.* Q*ui in aduentu ſuo extremo in iudicium, mittet* Angelos *ſuos cum tuba & uoce magna, & congregabit electos à quatuor uentis, à ſummo cœlorum uſq; ad terminos eorum, & tunc ueniet filius hominis in nubibus iudicaturus uiuos & mortuos, & ſæculum per ignem: tunc omnes ſtabimus ante tribunal* Chriſti, *teſte* Apoſtolo. E*t referemus prout unus quiſq; geßit in corpore ſuo, ſiue bona ſiue mala.* Nam *per* Eſaiam *ait.* V*iuo ego dicit* Dominus, *quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur* Deo. Et *dicet bonis.* V*enite benedicti patris mei poßidete paratum uobis regnum.* Malis *uero, diſcedite à me maligni in ignẽ æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.* Et *ibunt hi in uitam æternam, hi uerò in ignem æternum.*

Ad heb. 9

Marci 14

Acto. 2.

Mat. 24.

Rom. 14.

Iſaie 54.

Math. 25.

æternum. Audiant obſecro, audiant uerbum Dei, qui dicunt animam una cum corpore interire: ceſſent obſecro ceſſent, nec dicant unum eſſe interitũ hominis, ac beſtiæ. Cognoſcant ſeipſos, ad imaginẽ Dei eſſe creatos, ac abhorreant talia nõ dicere modo, ſed ne cogitare quidem audeant. Audiãt obſecro Auguſtinum dicentem. Solum hominem credimus habere animam rationalem, quæ exuta corpore uiuit, & ſenſus atq; ingenia uiuaciter tenet. Non cũ corpore moritur, ſicut Aratus aſſerit: neq; poſt modicum interuallum, ſicut Zeno dicit, quia ſubſtantialiter uiuit, cum ſit immortalis. Animalium uero animæ non ſunt ſubſtantiæ, ſed cum carne ipſa carnis uiuacitate naſcuntur, & cum carnis morte finiunt, & ideo nec ratione reguntur, ſicut Plato & Alexander putant, ſed ad omnia naturæ incitamenta ducũtur. Anima uero humana, non cum carne moritur, quia non cum carne ſeminatur, ſed formato in uentre matris corpore, Dei iudicio creari & infundi, ut uiuat homo intus & in utero, : & ſic procedat natiuitate in mundum. Quare non idem erit interitus hominis & iumẽti, ſed longe diuerſus, quia in homine mors dicitur ſeparatio uitæ ſeu animæ: in brutis uerò mortificatio ſeu deſtructio, quia nec reſurrectura ſunt ut homo, ſed in nihilum, uel terram ex qua ortum ducunt conuertuntur, ea propter de reſurrectione hominis nobis dicendum eſt.

Auguſtinus in Ecclesiaſticis dogma.

Caput

trus ait, ſolutis doloribus inferni. Iam ubi ſit diximus, tandem diuiſionem ac deffinitionem eiuſdem colligamus oportet. Dauid ait. Eruiſti animã meã de inferno inferiori. Auguſtinus interpræetatur locum ſic. Intelligamus tanquam duo eſſe inferna, ſuperius & inferius, & propter iſta duo loca miſſus eſt filius Dei, undiq; liberans, ad hoc infernum miſſus eſt naſcendo, ad illud moriendo. Sed ſcire uis pœnas inferni, idem ait. Locus inferni plenus eſt tenebrarum, diſcordiæ, iuxta uerba Iob qui ait. Dimitte me paululum ut plangam dolorẽ meũ priusquam deſcendam ad terram tenebroſam, & opertã mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternus horror eſt inhabitans. Iam colligere ex his uerbis licet, & locum inferni, & pœnas eius, quia eſt locus tenebrarum, ut cœlum lucis lucis: diſcordiæ, ut cœlum amoris: illic error ſempiternus, in cœlo ordo perpetuus: illic pœnæ, hic gaudium: illic triſticia, dolor, hic læticia, perhẽnis ſanitas: illic ſitis, fames, hic ſatietas omnium: illic omnia ſquallida, hic omnia pulchra: illic ignis inextinguibilis, hic lumẽ uerum omnem illuminans hominem: illic omne malũ, hic omne bonum: illic mortem optant, hic uita æterna fruuntur; illic dæmones ac peccatores, hic Deus & Angeli cum ſanctis: In regno Dei nil inuenitur, quod non ſit deſiderabile, at in inferno nil inuenitur quod optetur: illic uermis conſciẽtiam ſemper mordens, ac ignis inextinguibilis, hic conſcientia ſancta, placens

Pſal. 85. Iob. 10. Iſaie 66.

infernus dicitur Augusti. in libr. de cognitiõe ueræ uitæ

ćta placens Deo, ac ignis charitatis. Vnde infernus secundum Augustinum dicitur esse incorporeus, substantia spiritualis, corpori similis, cuius pœna tãto est intolerabilior, quanto spiritus corpori est subtilior. Omne enim corpus uetustate deficit, diuturnitate dissolutum interibit, unde si infernalis ignis est corporeus, restat ut corporalibus instrumentis nutriatur, & sequitur ut illis consumptis ipse intereat: sed constat ignem gehennæ non deficere, ergo spiritualis est, si autem corporeus, sed indeficiens, ergo creatus est. De hoc igne Saluator noster ait. Bonum te esse debilem & intrare in regnum Dei, quàm duas manus habentem ire in gehennam in ignem inextinguibilem, ubi uermis eorum non moritur, nec ignis eorum extinguitur. Similiter de pede, de oculo dixit Augustinus, non piguit dominum in eodem loco uerba ter dicere, ut terrere posit à pœnis malos. Sed dicas inferos non esse, eò quòd locus eorum ignoratur, licet nesciatur ab hominibus in hoc mundo existentibus, tamen dicendum est esse inferos in terra. Sed multos est inuenire qui dicũt unum quenq; in fide sua saluari. Audiat talis Augustinum dicentem. Firmißime tene & nulla tenus dubites, non solum omnes paganos, sed & omnes Iudæos, hæreticos, atq; schysmaticos, qui extra Ecclesiam catholicam præsentem finiunt ui tam, in ignem æternum ituros, qui paratus est diabolo & angelis eius.

Marci 9.

Obiectio. Augusti. de fide ad Petrum.

CAPVT

riuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. 42
Christus enim resurrexit primitiæ dormientiū. Ideo Augusti.
Augustinus ait. Quia resurrexit caput uestrū Chri- i psal.99.
stus, hoc sperate membra, secundum prouerbiū anti-
quum & uerum, ubi caput & cœtera mēbra. Chri-
stus in cœlum ascendit non remansit apud inferos,
quò nos secuturi sumus eum, & quia resurrexit, iā Ad Ro.6.
non moritur, mors illi ultra non dominabitur, nos
cum resurgemus etiam non moriemur. Volens domi-
nus resurrectionem testari ait. Viuo ego & uos ui- ioan.4.
uetis. Quibus uerbis duas resurrectiones notat suā
scilicet mox futuram, & nostram insecuti fine uen-
turam. Per hominem enim mors, per hominē & 1.Cori.15
uita, nemo ad uitam nisi per Christū. Oportet itaq;
hoc corruptile induere icorruptile, & mortale hoc
induere incorruptibilitatem. Cum hoc factum fue-
rit iam non erit caro, quia caro & sanguis nō pos-
sidebunt regnum Dei, sed cœleste corpus. Quod & Mat.22.
dominus promisit dicens. In resurrectione neq; nu-
bent, neq; uxores ducent, sed erunt tanquam Ange-
li Dei, non enim iam hominibus, sed Deo uiuent; cū
æquales Angelis facti fuerint. Immutabitur caro et
sanguis, nam animale corpus hoc erit spirituale, &
sic cœleste & angelorum, mortui enim resurgent
incorrupti, & nos immutabimur. Sed diceres, in qua Obiectio.
forma uel ætate resurgemus. Paulus ait, Donec oc- Ad eph.4
curramus omnes in unitate fidei, & agnitionis filij Augusti.
Dei, in uirum perfectum & mensuram, & etiā ple- de ciuita
nitudinis Christi. Augustinus hæc uerba interpre- Dei 22.li.
 tatur cap.15.

tatur, sic addidit Apostolus in mensura ætatis ple-
nitudinis Christi, aut propter aliud intelligamus di
ctum esse, id est, ut illi capiti in populis christianis
accedente omnium perfectione, membrorum, ætatis
suæ mensura compleatur, aut si hoc de resurrectiõe
corporum dictum est, sic accipiamus dictum, ut nec
ultra, nec infra iuuenilem formam resurgant corpo
ra mortuorum, sed in ea ætate & robore usq; ad
quam Christum hic peruenisse cognoscimus. Circa
triginta quippe annos definierunt esse etiam sæculi
doctißimi homines, iuuentutem, quæ cum fuerit spa-
tio proprio terminata, inde iam hominem in deter-
minata uergere grauioris ac senilis ætatis. Et
ideo non esse dictum in mensura corporis uel in mẽ
sura staturæ qualitatisue, sed in mensuram ætatis et
plenitudinis Christi, ideo non quantitatis mensura
sed ætatis intelligenda est. Resurgent itaq; omnes
tam magni corpore, quàm uel erant uel futuri erãt,
iuuenili ætate, quamuis nihil oberit etiam si erit in-
fantilis, uel senilis corporis forma, ubi nec mẽtis nec
ipsius corporis ulla remanebit infirmitas. Restitue-
tur ergo quicquid de corporibus uiuis post mortem
uel de cadaueribus perijt, & simul cum eo quod in
sepulchris remansit in spiritualis corporis nouitatẽ
ex animalis corporis uetustate, mutatum resurget,
in corruptione atq; immortalitate uestitum, etiamsi
aliquo casu totum corpus dispersum uel distractum
erat nusquam esse sinatur, omnino nullo modo sub-
trahi poterit omnipotentiæ creatoris, sed capillus
in eo

in eo capitis non peribit, & erit spiritui caro subdita spiritualis. Hoc itaq; fides habet. Itaq; rem se habere credendum est, neq; animum neq; corpus humanum omnino interitum pati, sed impios resurgere ad pœnas inæstimabiles, pios aūt ad uitam æternam. Expectemus itaq; dominum Iesum Christū qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratū corpori claritatis suæ, secundum uirtutis suæ operationem qua etiam subijcere poßit omnia, ac adducere secum in uitam æternam, de qua sumus dicturi. Ad phil. 3

CAPVT XXXV.

Vigesima & vltima dignitas hominis, à fine qui est duplex, primus uitæ alter mortis dicitur.

PRius quam ad calcem rei perueniamus de fine nostro quem expectamus (ut uita æterna) inquantum exilitas ingenij nostri patitur dicere intēdimus. Quid enim in hac uita melius homini cōtingere poterit, nisi præsupponere ac præcognoscere scopum, ad quem merito paßionis domini, Christoq; duce, currere poßit: quo electo ne latum quidē unguem ab eo liceat discedere. Et si uariæ antiqui ipsi philosophi gentilium miro ingenio pollentes, fœlicitatem summam ac beatitudinem inuestigabant, eius tamen cognitionem nullam habuerunt, Vulgares enim in rebus mundanis (ut & nunc apud plu-

res fit) summam fœlicitatem locarant, ut in uoluptate Epicurei : in diuitijs uero Cresus & multi tyrannorum, in honore uerò quidam ut ciuiles, quidã uero in bonis corporis, ut Hercules, Hector, uiri fortes, quidam uerò in bonis animi, ut Stoici, quidam in utrisq;, & animi & corporis, ut Peripatetici, quorum princeps Aristoteles, qui summam fœlicitatem esse ait in operatione animi per uirtutem rectam, siue hoc fiat per actionem, & sic ciuiliter, siue per contemplationem in admiratione æternorũ ac Dei, & sic speculatiuè. Verum fœlicitatem æternam tales minime poterant inuestigare, eò quòd eius authorem Deum omnipotentem non agnouerant. In quorum numero est inuenire multos, qui plus terrenis inhiant quàm cœlestibus, in diem tantum uiuentes more pecudum, quorũ mors similis pecudibus. Tales semper præ oculis habeant obsecro antiquũ illud ac prudens dictum γνῶθι σε ἄυτον, nosce te ipsum, non tantum ex parte corporis quod corruptibile gerimus, sed magis animi ad imaginem Dei creati : ut sic ex agnitione sui ad ueram cognitionem creatoris sui perueniant, qui dicitur uita æterna. Nam ex sententia diui Augustini, cognitio dicitur triplex; Prima per ascensionem à terrenis, contẽnẽdo ea tãquam caduca ac terrena. Secunda per ascensionem ad nos, cum cognoscimus corpus nostrum fragile, ad malum pronum ac ad bonum segne. Tercia per ascensum supra nos, in cognitione Dei, & hæc cognitio fit mentis subleuatione in Deum, eius sapientiam mirãdo

Augusti. 9. in lib. de anima & spũ.

Cognitio triplex.

mirando, in creando potentiam, in regendo, bonitatem in uiuificando ac sustinendo. Qui id intelligit, nil potest aliud cogitare, qui id intuetur, nil praeter ipsum aliud cupit intueri, qui id audit, nil audire potest, praeter ipsum, neq; corporis etiam sui mēbra mouere, uniuersis profecto sensibus, motibus, id agendum, ut ad cognitionē Dei perueniamus, Quia haec est uita aeterna ut cognoscant te uerum Deum & quem misisti Iesum Christum, ut ueritas ipsa docet. Aeterna igitur uita est ipsa cognitio ueritatis, quamobrem uidendum est quam sint peruersi, atq; praeposteri, qui se arbitrantur Dei cognitionē tradere, ut perfecti simus, cum perfectorum ipse sit praemium, quid ergo agendum? quid quaeso, nisi ut eum ipsum quem cognoscere cupimus, prius plena charitate diligamus, ut ex eius amore uitam aeternam consequi poßimus, quam certo in se habere possumus, in hac uita, quia qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo. Satagendum ergo est nobis, ut in charitate Dei ac proximi uiuere possemus, ac uitam aeternam consequi, quae haec est uita essentialiter, eo quòd est omni causa uitae, & dat uitam & conseruat in omnibus creaturis. per cuius uisionē illa inprimis causatur uita aeterna in sanctis, iuxta uerba Dauid. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Et illa quidem actio, id est uisio Dei, uel potius quies uitae aeternae, qualis sit dicere insufficiens sum. Si enim mihi ora centum & linguae innumerae, uix poßit gloria illa aeterna futurae uitae dici, ac sufficiē-

Ioan. 17.

I. Ioan. 4.

Psal. 16.

Plato in Phedro. ter laudari. Vnde & Plato ait. Locum super cœlestem neque quisquam nostrorum laudauit, adhuc poëtarum, neq; unquam pro dignitate laudabit. Habet se uerò in hunc modum. Audendum est enim uerum dicere, præsertim de ueritate loquenti, sine colore, sine figura, sine tactu, essentia uerè existens, at quid quærimus lucem in tenebris, tesaurũ ubi inueniri non posit. Audiamus Apostolum ad tercium usq; cœlum raptum, qui gloriam cœlestem admirãs

1. Cor. 2. sic exclamat. O altitudo diuitiarum sapientiæ ac scientiæ Dei, quia nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum. Superat itaq; uita æterna omnem sensum, sed nedum sensum, uerum & intellectum, non tantum nostrum, sed omnium sanctorum

Augusti. lib. 22. de ciuita. dei cap. 7. Angelorũ, ut Augustinus ait. Si sancti in pace Dei uicturi sunt, profecto in ea pace uicturi sunt, quæ superat omnem intellectum. Quoniam quod nostrum superat non est dubium, si aũt superat Angelorum quia nec ipsos excepisse uidetur Paulus dicens, & pax Dei quæ exuperat omnem intellectum. Secundũ hoc dictum debemus intelligere, quia pacẽ Dei qua ipse Deus pacatus est, sicut nouit Deus, non eam nos sic possumus nosse, nec ulli Angelo concessum. Superat itaq; omnem intellectum præter suum, sed quia & nos pro modo nostro, pacis eius participes facti; summam in nobis atq; inter nos, cũ ipso pacẽ quãtũ nostrum summũ est obtinebimus, isto modo, pro suo modo, sciunt eam Angeli. Homines aũt nunc longe

intra

intra quantumlibet perfectione mentis excellant, ex parte enim scimus & ex parte prophetamus, donec ueniat quod perfectum est. Et uidemus nunc per speculum in ænigmate, tunc aũt facie ad faciem. Sic iam uident sancti Angeli, qui etiam nostri Angeli dicti sunt, quia eruti de potestate tenebrarum, & accepto spiritus pignore translati ad regnum Christi, ad eos Angelos, iam cupimus pertinere cũ quibus nobis erit sancta atq; dulcißima Dei ciuitas, cum facie ad faciem uidebimus faciem Dei, manifestatio Dei intelligenda est. Primum itaq; fidei nobis uisio ista seruatur, de qua Ioannes. Cum apparuerit similes ei erimus, quoniam uidebimus eũ sicuti est, non corporeum, nec similem in forma nobis. Videbimus itaq; Deum in illa uita in corpore nostro iuxta uerba Iob. Videbo Deũ in carne mea, resurrectionem carnis prophetans dicit, in carne, non per carnem, quemadmodum Heliseus uidit seruum accipientem munera uisione mentis, unde dicebat ad Gesi. Nonne cor meum tecum erat quando conuersus est uir de curru obuiam tibi, & accepisti pecuniam. Habebunt etiam oculi corporei officium suum illic, & in loco suo erunt in spirituali corpore, absit ergo ut dicamus illos sanctos in illa uita, Deum clausis oculis non uisuros, quem spiritu semper uidebunt, unde fœlicitatem summam capiant. Quid ergo agendum erit, ubi nullum erit malũ, nullum latebit bonum, uacabitur Dei laudibus. Nam quid aliud agetur, ubi neq; ulla desidia cessabitur,

1.Cor. 13.

1.Ioan. 3.

Iob 19.

4.Reg. 6.

Psal 83. neq; ulla indigentia laborabitur. Vnde Dauid ait. Beati qui habitant in domo tua domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Omnia membra & uiscera incorruptibilis corporis, quæ nunc uidemus per usus necessitatis uarios, & motus distributa, quia tūc non erit ipsa necessitatis sed plena, certa, secura, sempiterna, fœlicitates proficient laudibus Dei, uera ibi gloria erit, ubi laudantis nec errore quisquam nec adulatione laudabitur, uerus honor qui nulli negabitur digno, uera pax ibi est, ubi nil aduersi, nec à seipso, nec ab alio quisq̄ patietur, præmium uirtutis erit ipse qui uirtutem dedit, eiq; seipsum, quo melius & maius nil poßit permisit. Quid est enim aliud quod per prophetam dixit. Ero illorum Deus, & ipsi mihi erunt in plebem, nisi ero unde satietur? Ego eis ero quæcunq; ab omnibus honestè desiderētur & uita & salus, & uictus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona. Sic enim & il-
1 Cor. 15. lud recte intelligitur, quod ait Apostolus. Vt sit Deus omnia in omnibus, ipse finis erit desideriorū nostrorum, qui sine fine uidebitur, sine fastidio amabitur. Amor enim patris & filij & spiritus sancti ipse est per quem omnes sunt sancti. Considerate ergo quanta sit illa gloria, quam inefabilis læticia, cū ad Deum patrem ueniemus. Et ipse ponet nos in suo regno tanquam filios & hæredes. Iesus Christus tāquam fratres & cohæredes. Spiritus sanctus, unum nos spiritum esse faciet cum illis. Ipse siquidem est indissolubilis, uinculum Trinitatis & amoris; tunc

introibimus

introibimus in potentias domini, & uidebimus ciuitatem illam, de qua tam gloriosa dicta sunt. Vita siquidem illius ciuitatis est quieta, pax tranquilla, fœlicitas perpetua, pulchritudo admirabilis, species laudabilis, concupiscibilis, gloria desiderabilis, gaudium perenne, festiuitas continua, cantica dulcißima. Ibi sunt quæ corda, animum in quandam ineffabilem dulcedinem atq; iucunditatem conuertunt: sunt ibi gaudia æterna quæ suauitatem infundunt, & corruptionem non inducunt: semper reficiunt, nunquam deficiunt, pascunt & perseuerãt, integra ad fruendum se exhibẽt & permanent incorrupta, omnis pulchritudo ibi est ubi summa pulchritudo est, omnes sancti, sine inuidia fruuntur bonis, nulli superiori inuidebit inferior, sicut nunc non inuident Archangelis Angeli cæteri. Sic itaq; habebit donum alius, alio minus, ut hoc quoq; donum habeat nec uelit amplius. Differunt siquidem sancti secũdum merita ac dona, secundum magis ac minus teste Apostolo qui ait. Alia quidem cœlestium gloria, Cor.11.5. alia terrestrium, alia claritas Solis, alia Lunæ, & alia claritas stellarum, stella enim differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum. En diuersitatem premiorum declarat, tamen ob hæc nulla discordia sed cuncta consona, cuncta conuenientia, quia omnium sanctorum una concordia, pax cũcta, & læticia continet, tranquilla sunt omnia & quieta, iugis splendor, non iste qui nunc est, sed tãto clarior, quanto fœlicior. Quia ciuitas illa ut legitur, Apoc. 21. nõ egebit

non egebit lumine Solis, sed dominus omnipotens illuminabit eam, & lucerna eius est agnus, ubi sancti fulgebũt ut stellæ in perpetuas æternitates, & sicut splendor firmamenti, qui ad iusticiam erudiunt

Daniel.12 multos. Quapropter nox ibi nulla, nullæ tenebræ, concursus nubium nullus, nec frigoris ardorisq; asperitas ulla; sed talis erit quædam rerum tẽperies, quam nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Illi itaq; digni inueniuntur ad fruendum uita illa æterna, quorum nomina scripta sunt in libro uitæ, qui & lauerunt stolas suas in sanguine agni, & sunt ante tronum Dei, seruiuntq; die ac nocte. Non est senectus ibi, nec senectutis miseria, dum omnes occurrerunt in uirum perfectum, in mẽsuram ætatis plenitudinis Christi. Hæc hæreãt firmiter sensibus nostris, hæc intelligantur plena fide, hæc toto corde diligantur, hæc indesinentium operum magnanimitate acquirantur.

CAPVT XXXVI.

De fine altero damnatorum.

CVM uero alium sibi finem ordinant peccãtes, quidam ex ignorantia, ut gentiles: quidã uero ex pertinatia manendi in peccatis, uidelicet

Mat. 25. gehennam, quæ diabolo & angelis eius parata est. Nolentes enim considerare eum finem ob quẽ sunt creati uitam æternam, uidentes, scientesq; moriuntur, cum se se peccatis subijciunt. Omnes enim fornicatores

nicatores, idolis seruiẽtes, adulteri, molles, masculorum concubitores, fures, auari, ebriosi, maledici, rapaces, & omnes qui opera carnis agunt, ut Apostolus ait, regnum Dei non consequentur. Cũ duo fines sunt omnium nostrum, duas quoq; uias quibus in eos itur, dominus præscripsit dicens. Arctam esse uiam uirtutum quæ ducit in regnum Dei, ac paucos intrantes eam, latam uerò ac spaciosam, uitiorũ quæ ducit in perditionem, ac multos intrantes per eã. Hac incedunt omnes prædestinati, electi in libris uitæ inscripti, iustè ac benè auxiliante Deo operantes, duce suo Christo. Illa uerò incedũt peruersi, mali, sensualiter more pecudum uiuentes, uiã illis dirigente eorum duce sathana, cæco cæcos ducente. De inferis & si multi etiam ethnicorum scripserũt, Platonis tantum sententia recitata ad alia pergemus: qui agit. Animas malorũ pœnis dari, uel ob magnitudinem scelerum, uel quia insanabiles uidẽtur esse iudicibus, ut qui sacrilegia multa ac magna, uel cædes iniquas, uel horum similia commiserunt, hos omnes conueniens sors mergit in tartarum, unde nunquam egredientur. Tartarum uerò ait esse unum ex hyatibus terræ maximum, de quo & Homerus, Longo nimis baratrum stat sub tellure profundum. Quemadmodum enim cœlum est superior locus, sic infernus inferior Augustino teste. Nã sub terris dicuntur inferi esse, si corporalia loca nõ sũt, aut unde inferi appellantur, si sub terris non sunt, animam uerò non esse corpoream non me putare,

1. Cor. 5.

Math. 7.

Plato in Phedone

Augusti. lib. 12. in Genesim.

sed plane

sed plane scire audeo profiteri, tamen habere posse similitudinem corporis, & hanc etiam apud inferos gerit non corporalem, sed corpori similem, cum sit paßibilis & etiam in locis uidetur esse non corporalibus sed corporalium similibus: neq; Abrahā uel ille pauper Lazarus in sinu eius, id est in secreto quietis eius, in inferno uel doloribus erat, quia non poterat teneri ab eis, inter quorum requiem & illa inferni tormenta legimus magnum chaos esse firmatum, dicitur enim, Contigit mori inopem illū, & afferri ab angelis in sinum Abrahæ, mortuus est autem & diues & sepultus est, & cum apud inferos esset in tormentis, eleuatis oculis &c. Ecce inferorum mentio non est facta in requie pauperis, sed in supplicio diuitis, quæ si ita sunt, ideo sub terris esse dicuntur, quia magnum chaos inter eos erat. Etenim congruenter animæ ipsorum inferis dignæ cum carnis amore peccauerunt, ideo ibi puniūtur.

Lucæ 16.

Dicuntur itaq; inferi quod infra sunt latine: sicut autem secundum corpus inferiora sunt omnia graua, ita secūdum spiritum inferiora sunt omnia tristia, unde & in Græca lingua origo nominis dicitur ἄϊδης, inferi eo quòd nil suaue habent, & apud Hæbræos שאול quandoq; pro fouea, quādoq; pro inferis accipitur: partem tamen inferiorem subterraneam signans. Nec ipsam tamen rerū partem noster saluator mortuus pro nobis uisitare cōtempsit, ut inde solueret quos esse soluendos, secundum diuinam secretamq; iusticiam uoluit. Vnde Petrus ait

Vnde dicātur inferi.

CAPVT XXXIIII.

Decima nona dignitas, à resurrectione corporum.

HVcusq; de præstantia hominis ex parte animæ diximus, superest de resurrectione corporum & fine hominis, & uita æterna, dicamus. Resurrectionem corporum futuram antiqui Philosophorum pertinacißime negabant, quemadmodum & Saducei, quibus dominus silentium imposuerat. Vnde & Paulum uenientem Athenas ac Christum crucifixum mortuum & resurrexisse prædicabāt, σπερμολογόν i. semini uerbum appellabant, inquientes: uolumus scire quid nam uelint hæc esse, noua enim quædam infers auribus nostris, quia Iesum, ac resurrectionem prædicas futuram corporū. Cuius rei meminisse uidetur Augustinus in hæc uerba. In nulla re tam uehementer, tam pertinaciter, tam obnixe, & contentiose cōtradicitur fidei Christianæ, sicut de carnis resurrectione. Nam de animi immortalite, multi etiam philosophi gentium, multa disputauerunt, & immortalem esse animū humanum pluribus & multiplicibus libris conscriptum memoriæ reliquerunt. Cum uentum fuerit ad resurrectionem carnis, non titubant, sed apertißime contradicunt, & contradictio eorum talis est, ut dicant fieri nòn posse, ut caro ista terrena, poßit in cœlum ascendere. Quod & quidam hucusq; per-

Actor. 17.

Augustino in psalmum 88.

pertinaciter contra sacram scripturam, ac fidē sym boli negant, dicentes more Epicureorū, animas mo- ri cum corporibus, ac in nihilum uerti. Audiant ob- secro tales etiam ethnicos ac gētiles de resurrectiōe

In Pymā- dro. sentientes, inter quos Mercurium illum ter maximū dicentem. In corporis materialis resolutione cor- pus in alterationem labitur, species quam ante ha- buerat insensibilis delitescit in posterum, sensus cor- porei partes animæ facti suos in fontes refluunt, a- liquando in suos actus iterum resurrecturi. Hæc fu-

Plato in phædone. sius explicat Plato, discipulus eius inquiens. Ex mor tuis uiuentes fiunt, mortuorumq; supersunt animæ. Quapropter ne dubites de resurrectione, interro- ga iumenta & docebunt te, ut etnici ipsi scriptores, quære uolatilia cœli ut scripturam sacram, docto-

Iob 19. res & indicabunt tibi. Audi itaq; Iob dicentē. Scio ꝙ redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de ter ra resurrecturus sum, & rursum circumdabor pellē mea, & in carne mea uidebo Deum meum, quē ui- surus sum ego ipse & non alius. Quid apertius esse poterit his uerbis de resurrectione corporū. Quod

Isaiæ 26. Ezechi. 31 & Isaias approbat dicens. Viuent mortui tui, & interfecti mei resurgēt. Et Ezechiel in persona Dei loquitur. Ecce ego intromittam in uos spiritum & uiuetis: & dabo super uos neruos; & succrescere faciam super uos carnes, & superextendam in uo- bis cutem, & dabo uobis spiritum & uiuetis. Sed quæreres, quis autor resurrectionis? non nisi Chri

1. Cor. 15. stus dicas, teste Paulo. Et sicut in Adam omnes mo

riuntur

CAPVT XXXVII.

Quo mouemur ad agenda bona.

IAM operi nostro finem imponamus, repetitis his quæ ante diximus. Caueamus gehennā quā diximus esse malorum primum, consideremus nos esse creatos ad imaginem Dei, & merito passiōis domini, ad eum finem redemptos. Sequendus est nobis itaq; author uitæ qui ait. Qui uult uenire post me, tollat crucem suam & sequatur me. Crucem suam ait, non domini, Quia unumquenq; nostrum per multas tribulationes & angustias intrare necesse est, ut Paulus docet. Per multas tribulationes oportet iutrare nos regnum Dei. Qui uult itaq; rite sequi dominum, primo agnoscat se, quia est terrenus, ad imaginem Dei factus: & habeat præ oculis semper, ut ante diximus, illud uulgo tritum γνῶθι σε αὐτον, Nosce te ipsum. Cognoscere seipsum contemnere se & sua, quia nulla est maior scientia quàm cognitio sui teste Augustino. Discutiamus itaq; cogitationes, locutiones & opera nostra, quid enim prodest nobis, si rerum omnium naturas subtiliter inuestigemus, efficaciter compræhendamus, & nosmetipsos non intelligamus: examinemus ergo quæ fecimus nos: consideremus ea quæ facturi sumus, si sint secundum Deum. Valde siquidem necessaria est nobis circū-

Mat. 16.

Actor. 14

Augustin. lib. de anima et spū

 spectio

ſpectio examinationis, quatenus experientia eorum quæ fecimus, ad ea quæ agenda ſunt tutiores reddamur. Sæpe namq; opus quod bona intentione inchoare credimus, tanto citius in deceptionis laqueum nos præcipitat, quanto de intentionis noſtræ principio ſecuri, finem actionis non obſeruamus, & imprudenter quaſi uia plana ad foueam currimus, quia uidemus quid facimus, ſed quid finem noſtrum ſequi debeat non attẽdimus, ita enim ambiguus eſt animi noſtri affectus, ut niſi ex fine operis qualitatem intentionis eius diſcernere non ualemus. Præterea neceſſe eſt ut per ſingulos dies uitam noſtram ad iudicium uocemus, & quid egimus per diem & noctem examinemus, & quãto ad bona facienda ſolito alacriores, & quanto ad mala uincenda ſolito conſtantiores, ſine aliquo opere noſtro inſidijs inimici ſupplãtati ſumus, qualiter uero per iudicium tranſactæ deceptionis futuram illius fraudem cauere debeamus, quatenus nec ſuperueniens tentatio nos improuiſos ad malum opus deijciat, nec indiſcretos in opere bono, præſens negligentia fallat. Quisq; cor ſuum in huiusmodi ſtudio exerceat, audiat quid quidam ſapiens dicat. Scito te ipſum, ſcito unde ueniſti, aut quò uadis, quomõ uiuis, quantum proficis uel deficis, quàm longe es á Deo, uel quã prope: non locorum intelualliis ſed ſimilitudine uel diſſimilitudine morum: ſcito quomodo homo es, cuius cõceptio culpa, naſci miſeria, uiuere pœna, mori ne-

cesse, certum est quia morieris, sed incertũ quomodo & quando, uel ubi. Quoniam mors ubiq; te expectat: & tu sapiens fueris si ubiq; eam expectabis. Attende ergo sollicitè quid agas, uel quid agere debeas, si quod faciendum est facias, si bono operi malum aliquod non admisceas, si bonũ quod agis quanta oporteat deuotione impleas, si alterius ut tuum bonum diligis, si tuum ut alterius malum reprehendas, si sic declinas à malo ut facias bonum.

CAPVT VLTIMVM.

Epilogus.

Cum duplex sit natura, ut antea diximus: una interior quæ est ipse homo, anima nostra: altera exterior; corpus, utriusq; dignitate uisa, si uult totus beatificari homo, duo illi bona Deus a principio præparauit. Vnum uisibile, alterum inuisibile: unum corporale, alterum incorporale: ut in uno sensus carnis ad iucunditatem foueret, & in altero sensus mentis ad fœlicitatem repleretur. Idcirco duplici sensu anima rationalis instructa est, ut uisibilia caperet per sensum carnis, inuisibilia uerò per sensum mentis, quatenus & uisibilia & inuisibilla; ad dilectionem creatoris illam excitarent: omniumq; humanarum actionum, ad hunc finem currere debet intentio, ut uel diuinæ imaginis in nobis similitudo instauretur, uel huius uitæ necessitati consulatur. Quæ

uerò in nobis diuinam similitudinem reparant, sunt duo, speculatio ueritatis, & exercitium pietatis. Quia in hoc homo similis est Deo, qui sapiens est & iustus, perdunt uerò animam ad similitudinē Dei creatam peccata, quibus tanquam laqueis nexa, post mortem ad gehennam detruditur. Audisti ô homo qualis esse debeas, fuge ergo paululū cogitationes & opera mala, intra cubiculū mentis tuæ, & exclude omnia præter Deum, quē cum inueneris, ne excludas per peccata. Excita igitur nunc o homo animum tuum & cogita quantū potes, quale & quantum sit Dei donum, si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intēte, quā delectabile sit illud bonum quod continet iucunditatem omnium bonorum. Et non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tanto differentem, quāto differt creator a creatura, si enim bona est uita creata: quā bona est uita creatrix? si ita iucūda salus facta, quā iucunda est salus quæ facit omnem salutem? si amabilis est sapientia, in cognitione rerum creatarum, quā amabilis est sapiētia quæ creauit omnia ex nihilo? deniq; si multæ & magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus; qualiter & quanta est delectatio in illo, qui fecit ipsa delectabilia? ô qui hoc bono fruetur quicquid uelit, erit, & quicquid nolit, non erit, Ibi quippe erunt bona corporis & animæ, qualia oculus non uidit nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Cur ergo per multa uagaris homuntio, quærendo

rendo bona animæ tuæ, & corporis tui, ubi inueniri non possunt: In diuitijs quæris? caducæ sunt. In delicijs: translatoriæ, in bonis externis? mutabiles, in bonis corporeis? corruptibiles. Quare in bonis animi tui inuenies, ama unum bonum in quo sunt omnia bona, & sufficit: desidera simplex bonum quod est omne bonum, & satis est. Quid enim amas caro mea? quid desideras anima mea? ibi est quicquid amas, ibi est quicquid desideras, Si delectat pulchritudo? fulgebunt iusti sicut Sol: si uelocitas, aut fortitudo, aut liberalitas corporis, cui nil obsistere poßit? erunt similes Angelis Dei, quia seminatur corpus animate, & surget corpus spirituale, (potestate utiq; non natura) si delectat longa & salubris uita? ibi est sana æternitas & æterna sanitas. Ad hunc ergo finem præparare si uis ueram præstantiam assequi, illic uitã inuenies fine carentem: quia in perpetuũ uiuent sancti, & salus iustorum a domino, Si satietas? satiabuntur cũ apparuerit gloria domini, Si æbrietas? æbriabuntur ab ubertate domus Dei, Si melodia? ibi Angelorum chori concinũt sine fine deo Si quælibet mundana uoluptas? torrente uoluptatis deitatis suæ potabit eos dominus. Si sapiẽtia? omnes erunt dociles Dei. Si amicicia? diligẽt Deũ plus quam seipsos. Si concordia? cibus illorũ erit una uoluptas dei. Si potestas? introibunt in potẽtias domini, & omnipotentes erunt uolũtatis suæ, ut Deus. Si honos & diuitiæ? Deus seruos sũos

Mat 22.
Ad cor. 15
psalmo 16

bonos & fideles super multa constituet, imò filij Dei & dij uocabuntur & erunt. & ubi erit filius eius illic & illi erunt. Si uera securitas? certe ita securi sunt & certi, ut nunquam ista uel potius istud bonum erit eis defuturum. Si gaudio delectaris ineffabili? illud erit in fruitione uisionis Dei. Deus infinitæ misericordtæ, fons totius bonitatis & pietatis, fac nos participes tanti gaudij. Tu es enim gaudium plenum, beatitudo perfecta, tibi gloria in sæcula sæculorum. AMEN.

INDEX CAPITVLORVM.

Animæ

